Google

## Acerca de este libro

Esta es una copia digital de un libro que, durante generaciones, se ha conservado en las estanterías de una biblioteca, hasta que Google ha decidido escanearlo como parte de un proyecto que pretende que sea posible descubrir en línea libros de todo el mundo.

Ha sobrevivido tantos años como para que los derechos de autor hayan expirado y el libro pase a ser de dominio público. El que un libro sea de dominio público significa que nunca ha estado protegido por derechos de autor, o bien que el período legal de estos derechos ya ha expirado. Es posible que una misma obra sea de dominio público en unos países y, sin embargo, no lo sea en otros. Los libros de dominio público son nuestras puertas hacia el pasado, suponen un patrimonio histórico, cultural y de conocimientos que, a menudo, resulta difícil de descubrir.

Todas las anotaciones, marcas y otras señales en los márgenes que estén presentes en el volumen original aparecerán también en este archivo como testimonio del largo viaje que el libro ha recorrido desde el editor hasta la biblioteca y, finalmente, hasta usted.

## Normas de uso

Google se enorgullece de poder colaborar con distintas bibliotecas para digitalizar los materiales de dominio público a fin de hacerlos accesibles a todo el mundo. Los libros de dominio público son patrimonio de todos, nosotros somos sus humildes guardianes. No obstante, se trata de un trabajo caro. Por este motivo, y para poder ofrecer este recurso, hemos tomado medidas para evitar que se produzca un abuso por parte de terceros con fines comerciales, y hemos incluido restricciones técnicas sobre las solicitudes automatizadas.

Asimismo, le pedimos que:

+ *Haga un uso exclusivamente no comercial de estos archivos* Hemos diseñado la Búsqueda de libros de Google para el uso de particulares; como tal, le pedimos que utilice estos archivos con fines personales, y no comerciales.
+ *No envíe solicitudes automatizadas* Por favor, no envíe solicitudes automatizadas de ningún tipo al sistema de Google. Si está llevando a cabo una investigación sobre traducción automática, reconocimiento óptico de caracteres u otros campos para los que resulte útil disfrutar de acceso a una gran cantidad de texto, por favor, envíenos un mensaje. Fomentamos el uso de materiales de dominio público con estos propósitos y seguro que podremos ayudarle.
+ *Conserve la atribución* La filigrana de Google que verá en todos los archivos es fundamental para informar a los usuarios sobre este proyecto y ayudarles a encontrar materiales adicionales en la Búsqueda de libros de Google. Por favor, no la elimine.
+ *Manténgase siempre dentro de la legalidad* Sea cual sea el uso que haga de estos materiales, recuerde que es responsable de asegurarse de que todo lo que hace es legal. No dé por sentado que, por el hecho de que una obra se considere de dominio público para los usuarios de los Estados Unidos, lo será también para los usuarios de otros países. La legislación sobre derechos de autor varía de un país a otro, y no podemos facilitar información sobre si está permitido un uso específico de algún libro. Por favor, no suponga que la aparición de un libro en nuestro programa significa que se puede utilizar de igual manera en todo el mundo. La responsabilidad ante la infracción de los derechos de autor puede ser muy grave.

## Acerca de la Búsqueda de libros de Google

El objetivo de Google consiste en organizar información procedente de todo el mundo y hacerla accesible y útil de forma universal. El programa de Búsqueda de libros de Google ayuda a los lectores a descubrir los libros de todo el mundo a la vez que ayuda a autores y editores a llegar a nuevas audiencias. Podrá realizar búsquedas en el texto completo de este libro en la web, en la página `http://books.google.com`

This is a reproduction of a library book that was digitized by Google as part of an ongoing effort to preserve the information in books and make it universally accessible.

Google books

https://books.google.com

Diss.
4°
3754/20

Digitized by Google

4° Diss. ~~[struck]~~
3754 (20
Bayer

Digitized by Google

<36612000730019

<36612000730019

Bayer. Staatsbibliothek

C

Digitized by Google




Digitized by Google

# GEORGII BEYERI I. V. D.

PANDECTARVM IN ACADEMIA VITEMBERGENSI P. P.
ET DICASTERIORVM, QVÆ IBI FLORENT, ASSESSORIS,

# DELINEATIO
# IVRIS DIVINI,
## NATVRALIS
## ET POSITIVI VNIVERSALIS,

AD
FVNDAMENTA SVA REVOCATI ET AD
IVRA HVMANA, QVIBVS VTIMVR,
ACCOMMODATI,

# POSITIONIBVS

SVCCINCTIS COMPREHENSA.

*EDITIO ALTERA*

AB AVCTORE RECOGNITA NOVISQVE SCHOLIIS AVCTA

ACCEDIT VITA AVCTORIS

PRÆFATIO AD LECTOREM, ET INDEX RERVM VBERRIMVS.




---

*CVM GRATIA ET PRIVILEGIO S. R. M. POL. ET EL. SAX.*

---

LIPSIÆ,
Impenſis hæredum IOANN. FRIDERICI BRAVNII,
cIↃ IↃ CC XXVI.

Digitized by Google

Bayerische
Staatsbibliothek
München

Digitized by Google

ILLUSTRI
ATQUE
EXCELLENTISSIMO
DOMINO,
# DN. BERNHARDO ZECH,
POTENTISSIMO POLONIARUM
REGI ET SAXONIÆ ELECTORI
IN SANCTIORI SENATU CONSILIARIO
STATUSQUE PUBLICI MINISTRO
DOMINO MEO GRATIOSO
FELICITATEM PERENNEM.

Digitized by Google

# PERILLVSTRIS ET
# EXCELLENTISSIME
# DOMINE,
## DOMINE PERQVAM GRATIOSE.

QVemadmodum Juris Civilis pleraqve capita in regulis & cautionibus vim, fraudes & aſtutas machinationes improborum vel evitandi, vel reprimendi; mediisqve jus noſtrum adverſus denegantes, intercipientes, turbantes, eripentes perſeqvendi, atqve adeo in medicina ſtultitiæ humanæ verſantur, ita Jus Divinum, ſive id prælucentibus naturæ igniculis, ſive Divinæ revelationis beneficio cognoſcamus, ALIMONIAM SAPIENTIÆ ſemper credidi, quandoquidem honeſte & innocenter agere diſcit, in quo ſi amplius progrederentur homines, multæ litium, criminumque myriades ingnorarentur, magnaque malorum, quæ homo ab homine patitur, parte liberaremur, neque opus foret, tot cautionibus circumvallare & adverſus molimina eorum, qvi nobiscum agunt, munire negotia etiam levidenſia, atqve per maximam ætatis partem, qvæ cognitioni laudibusque Creatoris & beneficiorum ab Eo profectorum impendi debebat, vitæ, exiſtimationis & bonorum tum noſtrorum, tum aliorum ſecuritati invigilare. Id vero præſtat nobiliſſima hæc diſciplina, ut ad ſummum Numen tanqvam rerum omnium, quin & fatorum & eventuum primam cauſam reſpiciamus, verum rebus humanis pretium ponere, & in ſanctiſſimo ſupremi

rerum

Digitized by Google

rerum Arbitri decreto acqviſcere diſcamus, paulatimque aſſuefiamus componendis animi motibus, dediſcendo vehementi multarum rerum deſiderio, & obluctationi fatorum, qvando vires noſtræ non ſufficiunt. Ita docemur omnes homines amare, in eorum jura temere non involare, eos non minori, ac nosmetipſos loco habere, in eorum commoda conatus noſtros diſpenſare, nec bonos ſaltem, & amicos diligere, verum & inimicos non odiſſe, neqve armis magis, quam beneficiis vincere; calumniis innocentiam, inſultibus patientiam opponere, tranquillo rerum præſentium viriumqve uſu boni viri officium explere, neque temere & ſupra virium menſuram ad magni viri nomen contendere, ſed nec otio torpere, vitamque ſilentio & paſtu, veluti pecora transigere, quin domita potius & coërcita habendi & eminendi cupidine, ad timorem Domini, proximique amorem facta ſua referre, rebus anguſtis animoſum atque fortem apparere, ſecundis turgida vela ſapienter contrahere, utque ſemper iidem videamur & ſimus, allaborare, reliqua divinæ providentiæ nobis ſemper bene cupienti committere. Hæc prima Sapientiæ, cujus me diſcipulum profiteor, elementa dudum animo præconcepi, inde paulatim factorum & fatorum meorum experientia & alienorum obſervatione clarius penitiusque perſpexi, cui rei ut attentius inhærerem, hæc Juris Divini diſciplina recte vivendi norma, qvam identidem cum auditoribus meis perqviro, ſtimulos prope quotidianos addidit. Verum enimvero qvoties in TE, VIR EXCELLENTISSIME, tanquam SAPIENTIÆ SPECVLVM intueor, omnia iſta & plura longe ſublimiora uno eoqve vivo conſpectu reperio, multoqve magis ILLVSTRI EXEMPLO TVO, qvam mille regulis & admoni-

tionibus omnes, quos admiſſione benigna dignaris, commoveri ſentio. Veneror cum plurimis aliis accuratam juris privati ſcientiam, publicique notitiam & uſum, ſcripta ære perenniora, fidem, curam, dexteritatem in agendis rebus maximis, ingenii fœcunditatem vimqve judicii ſummam, &, in laborum mole maxima, indefeſſam & expeditam alacritatem, raras oppido dotes; qvæ amiciſſimo in TE amplexu ſe invicem excipiunt, non usqvam facile tam eminente gradu combinatæ; Maxime vero TRANQVILLAM SAPIENTIAM TVAM & in fronte ſerena gravitatem miror venerorqve, qvod nunquam ob negotiorum magnitudinem motu animi concitato, neque ſubtriſti ob pericula dubiosque eventus anxietate, aut ob laborum multitudinem impatientia, vultus TVI decus mutetur, ſed maxima quæque, quæ dirigis, agis, perficis, non torrentis inſtar cum ſtrepitu præcipitentur, verum ad modum rivi leniter manantis fluant. Ejus vero rei non alias eſſe poſſe, quam quas ſupra enumeravi, cauſas, quilibet mecum intelligit. Alii itaqve, qvando ZECHIVM fama meritisqve & rerum uſu ILLVSTREM collaudant, mihi ZECHIVM SAPIENTEM ET IN ARDVIS QVIBVSQVE SINE EXEMPLO TRANQVILLVM tacito mentis cultu venerari permittent. DEVS vero TE, PERILLVSTRIS DOMINE, REGI AVGVSTISSIMO, Patriæ, Domui Tuæ Florentiſſimæ, & clientum cœtui qvam diutiſſime ſervet! Scrib. Calend. Maj. cIↃ IↃ cc XII.

PERILLVSTRIS
EXCELLENTIÆ TVÆ

*cliens æterna pietatis & gratitudinis lege obſtrictus*

Georgius Beyer, D

Digitized by Google

# D. GEORGII BEYERI VITA,
## deſcripta per Jo. Gv. Janvm, P.P.

NOn poſtremum Academiæ Vitembergenſi ornamentum conciliauit GEORGIVS BEYERVS, JCtus clariſſimus, cujus merita loquitur fama, & nomen ingenii monumenta nunquam intermoritura illuſtrant. Quare ipſa æquitas poſtulare, nec noſtra tantum, ſed & poſteritatis intereſſe uidetur, vt vita eius, tam laudabiliter acta, literis ac memoriæ commendetur. Has partes, ab ipſis BEYERIANI nominis heredibus ad me delatas, tantum abeſt, vt ſubterfugerem, vt potius occaſionem libenter arriperem, & Viro tam præclare merito, collegiique Academici ſocietate quondam coniuncto, officium aliquod, etiam poſt mortem, præſtandi, tum aliorum fortaſſe deſideriis inſeruiendi, qui integram vitæ BEYERIANÆ deſcriptionem, hucdum non aliunde, quam ex domeſticorum ac familiarium eius notitia, ſumendam, requirunt. Equidem multo gratius lectori futurum fuiſſe, non dubito, ſi ipſi BEYERO noſtro, quæ de rebus ſuis paulo ante mortem ſcribere inſtituerat, abſoluere licuiſſet. Sed lethali morbo citius opinione oppreſſus, illa inchoata reliquit, nec vltra primos pueritiæ ſuæ annos perduxit. Interea, ne vel affecti iſtius laboris, & fatiſcente iam manu ſuſcepti fructus plane intercidat, ea ſaltem, quæ de ortu & Maioribus ſuis conſignauit, his ipſiusmet, quam meis verbis exponere malo, vtpote plus apud lectorem gratiæ pariter ac fidei habituris:

*Annum ætatis quadrageſimum nonum ago: ſat amplum ſpacium cœleſtem prouidentiam experiundi, & theatrum humanæ ſtultitiæ perluſtrandi, dummodo quis animum ad rerum euentus attenderit. Pater mihi fuit GEORGIVS BEYERVS, Mater Regina Straubigia, vterque honeſtis parentibus, nec infimæ ſortis, ſed belli tricennalis Germaniam vaſtantis calamitate ad incitas redactis nati. Id enim ex ore Auorum Auiarumque infans percepi, atque a parentibus ſæpe confirmatum audiui, ma-*

*maiores maternos in obſidionibus patriæ meæ Lipſiæ, & ſubſecuta expugnatione in eam usque egeſtatem redactos fuiſſe, vt beneficio ducum militiæ, quorum benevolentiam felici fato obtinuerant, vitam ſuſtentáuerint. Auum vero paternum, Iacobum Beyerum, Duumuirum Sibenlebnenſem, virum non doctrina adeo, quam prudentia & experientia præſtantem, exuſtis trina vice domo atque vaſtatis prædiis, quæ ſat ſplendida poſſedit, direptisque opibus omnibus, in eam usque ſortem dejectum fuiſſe, vt filium, Georgium, Patrem meum, puerum adhuc, in præfecturam Noſſenſem vicinam famulatum ablegaret, quem, negotiis nondum aſſuetum, a Toparcha, moroſo homine, peſſime exceptum, maleque mulctatum, breui, poſt recepit, at, quod ei alendo non ſufficeret, Dresdam ad D. Burſium remiſit, cum quo, Lipſiam ad Advocati in Curia ſuprema munus euocato, Pater meus eodem commigrauit, ibi Rudolpho Traubotho, Seniori, eiusdem curiæ Protonotario innotuit, qui ipſum Beyerum ſuum ſibi fecit, & primum deſcribendis diſceptationibus forenſibus, deinde actis iudicialibus conficiendis præpoſuit, demum, vt Actuarius primus laudatiſſimæ Curiæ ab Electore Sereniſſimo conſtitueretur, impetrauit, in quibus muneribus pater meus per quadraginta annos & quod excurrit, perſtitit, nec prius Deo reddidit ſpiritum, quam filium meum primogenitum, nuper cœlitibus aggregatum, tum bimulum, non ſine voluptate vidiſſet.*

*Natalis mihi factus eſt dies decimus Septembris anni CIↃ IↃ CLXV. Natale vero ſolum, Lipſia cultiſſimum literarum & mercaturæ emporium contigit, neque neceſſe eſt commemorare, me ſalutari fonte ſpondentibus patrinis ablutum, lactatum, & vsque eo educatum fuiſſe, dum rationis compos redderer: Ecquis enim ea de re dubitauerit? Nec ad rem attinet, quod inde a primis annis πολυπραγμοσύνη & ſciendi cupiditas ſtimulos diſcendi mihi indiderit. Nempe tum nondum noram, quod forte nec in hunc vsque diem ſatis didici: Chriſtum amare potius eſſe, quam omnia didiciſſe.*

*Vnum tamen alterumue ardoris ſciendi intempeſtiui exemplum præterire nequeo: Puer prope ſexennis indignabar, me a Præceptore, qui forte ſegnior erat diſcipulo, ad literas pingendas non admitti, ſed neque pater itentidem rogatus me admittebat, quippe infantiam cauſati. Quid vero facerem? Dum mane veſpereque patri adhærerem, & magnam chartarum copiam nec non pennas & atramentum in eius pulpito animad-*

*aduerterem, ſolus aliquando domi relictus pulpitum non recte clauſum, aperiebam, arreptoque calamo magnam paginarum copiam non literarum ductibus; ſed lineis circulisque ineptis maculabam, omnesque iuxta ſcamnum in angulo occultabam. Pater domum reuerſus ereptas ſibi chartas e veſtigio deſiderabat, facilique labore confeſſionem a me extorquebat. Maximo pudori habebam, me ad conquirendas chartas & exponenda ſcripturæ meæ ſpecimina, quæ effuſe ab omnibus ridebantur, adigi, neque ſeuere mecum pater agebat, ſed mulctæ loco, rem diu optatam, vt in iisdem chartis litteras effingere diſcerem, mihi iniungebat.*

*Non multo poſt piiſſima mater ſeculi ærumnis eripiebatur, meque cum fratribus duobus & ſorore ſub ancillarum imperio relinquebat. Verum nutu diuino non nouercam, ſed matrem aliam reperiebam in Maria Buſcharta, quam Pater d. 28. Aprilis anni 1674. in thorum recipiebat, ex eaque tres filias ſuſcipiebat, primam Adriano Heyſelbarth desponſatam, & in primo puerperio ad ſuperos euectam, alteram Carolo Andreæ Rubtiſchio, tributorum varii generis receptori, tertiam Mauritio Guilielmo Wagnero, tum SS. Theol. Candidato, & primum Lebuſienſis, Strieſſenſis & Corbenſis Eccleſiarum Paſtori, dein Schliebenſium ſacrorum Diacono, nuptam, vtramque inter mortales & vtinam diu ſuperſtitem, meoque aliquando funeri affuturam. Sed ex neutra proles ſupereſt.*

Atque hic BEYERVS noſter calamum poſuit, neque multo poſt animam efflauit. Sed aliunde tamen conſtat eum ab ineunte ætate literis ad humanitatem pertinentibus, partim a præceptoribus domeſticis, partim in publico ciuitatis Patriæ lyceo Nicolaitano, cui eo tempore Herrichius, Vir Græce & Latine doctiſſimus, præerat, imbutam, d. 2. Sept. a. 1682. ad Academica ſtudia tranſiiſſe. Ab illo igitur tempore ante omnia Philoſophiam, potiſſimum practicam, penitius addiſcere ſtuduit, vſus præceptore D. Valentino Alberti, qui magno tum applauſu illam docebat. Paulo poſt Glorioſiſſimi Principis El. Ioannis Georgii III. benignitate inter alumnos Lipſienſes receptus, ſtipendiis per integrum quinquennium ſuppeditatis ſtudia ſua ſubleuauit, horumque per ſingula trimeſtria Ephoris eam in rem conſtitutis rationem reddidit. In Iurisprudentia, quæ potiſſimum ipſi propoſita erat, Chriſtiano Thomaſio, celeberr. hodie JCto Halenſi, eo tempore privatim in Academia patria docenti, operam dedit, eoque duce curſum, quem vocant, Iuridicum intra biennium

confecit. Publicum deinde doctrinæ ſpecimen editurus, an. 1687. duas diſputationes ſolennes, alteram de CRIMINE BIGAMIÆ, alteram de BIGAMIÆ PRÆSCRIPTIONE, Præſide eodem Doctore ſuo exhibuit, & in eruditis congreſſibus more Academico defendit. Poſtquam Iurisprudentiæ in domeſticorum doctorum ſcholis fundamenta iecerat, exteros etiam audire ſtatuit. Francofurtum eo tempore illuſtrabat Samuel Stryckius, poſtea Vitembergenſis, tandemque Halenſis Academiæ decus, & JCtorum ſuæ ætatis facile princeps. Huius fama noſter quoque excitatus eo ſe contulit, & cognitum ita probauit atque ſuſpexit, ut *perſpicua facundia in docendo parem non dari*, iudicaret: vide Præf. Delineationi Iuris Civ. præmiſſam. In ſcheda quadam, ipſius BEYERI manu notatum inuenio, quod eum præter alia Inſtitutiones Iuſtin. Rhetii Ius publicum, Capitulationem Leopoldinam, Schüzii Compendium Lauterbachianum & Examen ſuum feudale explicantem audiuerit. Neque tamen interea aliorum JCtorum ibi docentium ſcholas neglexit, ſed ſecundum Stryckium inprimis D. Petri Schulzii acroaſibus frequens interfuit, multumque iis ſe debere, profeſſus eſt.

Ceterum non audiendo tantum, ſed & alios inuicem docendo proficere ſtuduit, ejusque rei commodam occaſionem nactus eſt, cum laudatus Stryckius Chriſtianum Adolphum de Cornberg, Equitem Weſtphalum, fidei ac inſtitutioni ejus commendaret. Poſtea etiam compluribus aliis ſcholas aperuit, & Inſtitutiones Imperiales, Examen Inſtitutiónum Hoppii aliaque prælegit. Iſtiusmodi exercitationibus biennium Francofurti transmiſerat, & diſputationem de Citatione Edictali, præſide D. Gabriele Korbmachero, Prof. Iur. hoſpite ſuo, habendam, aliaque meditabatur, cum a patre domum reuocaretur. Huic ergo morem gerens, ſub finem an. 1687. Lipſiam rediit, & mox Baccalaureatus gradu ornatus, in ſtudiorum curſu eadem, qua cœperat, via & induſtriæ contentione perrexit. Nam & celeberrimis Iuris Doctoribus, nominatim D. Leon. Barthol. Suendendörfero, diligentem audiendi operam nauauit, & in D. Lüderi Menckenii Gymnaſio Polemico Iuris tres Diſputationes, partim ad Ius feudale, partim ad Canonicum ſpectantes, publice reſpondendo defendit, & alios viciſſim inſtituendo vires expertus eſt. Quod cum feliciter ipſi ſuccederet, an. 1693. ſummam iuris lauream cepit,

&

Digitized by Google

& Doctor in arte ſua renunciatus eſt. Ab hoc tempore, quoniam a fori ſtrepitu & quæſtu ex trahendis aliorum litibus fere abhorrebat, atque tranquilliorem viuendi rationem ſequebatur, omnes curas eo contulit, vt Iuris ſcientiam cum exornaret magis ac perficeret, tum auditorum ad ſe confluentium captui accommodaret. Huius conſilii ſui rationem ipſe in præfat. ad Delineationem Iuris Civ. eo, quem dixi, anno primum editam, deinde vero luculentis acceſſionibus locupletatam, his verbis exponit: *Cum aptiorem me ſtudio Iuris theoretico deprehenderem, totum me ſtudioſæ iuuentuti deſtinare decreui, in id intentus, vt, quod DEus conceſſurus eſt vitæ ſpatium, innoxio huic & amœno, nec inutili vitæ generi impendam.* Quantum in eo operæ pretium fecerit, non modo plurimi, qui ex ſcholis eius doctiores prodierunt, paſſim prædicant, ſed etiam illi, qui de ſcriptis ejus iudicare poſſunt, agnoſcunt. Ac tametſi vmbratile illud vitæ genus opibus cumulandis non idoneum, & cum medioeri fortuna coniunctum erat: noſtro tamen, ſorte ſua contento, ita probabatur, vt cum ſplendidis conditionibus, quæ cum aliunde, tum præcipue ex aula Principis cuiusdam offerebantur, illud commutandum non putaret.

Cum vero D. Godofr. Sueuus, JCtus Vitembergenſis optime meritus, an 1706. munus ſuum, aduentante ſenectute, quietis & honeſti otii ſtudio, ſponte depoſuiſſet: hoc noſter a Potentiſſimo Rege ſibi demandatum ſine mora & recuſatione ſuſcepit. Ac primo quidem inſtitutiones Iuris aliquandiu expoſuit: deinde, an 1707. Digeſtum Infortiatum & nouum, tandemque, an. 1713. Digeſtum Vetus publice interpretari iuſſus eſt, & præter iſtos profeſſionis ſuæ labores in Curia provinciali aliisque Iudiciis Vitembergenſibus Aſſeſſoris munus ac dignitatem ſuſtinuit. Qua fide, induſtria & dexteritate amplisſimas illas partes per VIII. hos annos ornauit, publice apud nos notum eſt, & ſcripta teſtantur, quæ perpetuis licet iuris dicendi curis diſtractus, elaborare non intermiſit. Quanquam ille, qua erat animi moderatione & modeſtia, non tam, quid alii laudaturi forent, quam quid perſona ſua dignum eſſet, ſpectauit, & recte factorum conſcientiam optimam laboris mercedem iudicauit.

Quod ad res eius domeſticas attinet, d. 14. Nov. an. 1693. cum adhuc Lipſiæ degeret, connubii fœdere ſibi iunxit Reginam Eliſabe-

tham, Io. Groſſii, ædilis ac Bibliopolæ Lipſienſis filiam, fœminam lectisſimam & ſexus ſui virtutibus ornatisſimam. Cum hac per XIII. annos tam iucunde & concorditer vixit, vt omnes, ſi quæ obiicerentur, moleſtias in ſuauitate illius deponeret, nec quicquam ex ea doloris caperet, niſi cum d. 14. Nov. an. 1706. maturius, quam ipſe optasſet, e vita migraret. Ex fœcundo hoc non minus quam optato coniugio VII. liberos ſuſcepit, interque eos IV. filios: *Georg. Benedictum, Georg. Fridericum, Georg. Hadrianum, & Ioannem Georgium*, & tres filias: *Suſannam Felicitatem, Reginam Eliſabetham, & Ioannam Chriſtianam;* ex quibus duo filii, primus ac tertius, vt & filia natu minima, iam ante patrem defuncti, reliqui adhuc ſuperſtites ſunt, & ornandi generis ſui ſpem faciunt.

Iacturam deſideratiſſimæ illius coniugis penſarunt ſecundæ nuptiæ ſub initium an. 1719. cum *Dorothea Sophia* Braunia, D. Io. Georgii Krauſii, ciuitatis Vitemberg. Syndici, vidua, fœmina nobiliſſima, & cum optimis quibusque comparanda, auſpicato initæ, quam vsque ad obitum ſuum a Deo ſibi conſeruari, verbis etiam in commentarios relatis, nec fruſtra, optauit. Nam poſt unicam filiolam *Chriſtianam Sophiam* ſub finem eiusdem anni ex illa natam, d. 16. Aug. an. 1714. febri correptus, quinto poſt die deceſſit, maximumque ſui deſiderium non tantum viduæ mœſtisſimæ, & quinque liberis præſidio ſuo orbatis, ſed Collegis etiam, ac toti Academiæ reliquit. Eam enim viuendi rationem iniit, vt neminem facile re vlla prudens offenderet, ſed de omnibus potius bene mereri ſtuderet. In communi conſuetudine facilis & iucundus erat: ſed, quemadmodum in ſeriis grauitatem ab acerbitate, ita, cum remitteret animum, comitatem a leuitate ſeiungebat, & in omnibus actionibus honeſtatis decus ſeruabat. Hinc non tantum ab æqualibus, ſed & a ſummis pariter ac infimis gratiam iniit, aduerſantes vero patientia & beneficiis potius, quam odio aut malefactis uincendos putauit. Magnas diuitias non habuit, ſed, cum nihil ei deeſſet, neque concupiuit, diuites exiſtimans, non qui multis abundarent, ſed qui paucisſimis indigerent. In omni fortuna animum eundem retinuit, quem neque res ſecundæ efferrent, nec aduerſæ frangerent, aut ſtatu ſuo dimouerent. Vidimus eum, cum vxorem dilectisſimam, cum liberos, cum filium natu maximum & in eo primam ſpem ſuam,

ami-

Digitized by Google

amiſiſſet, vultu aperto, nihilque mutato, & vix vllum luctus indicium præ ſe ferente, funus comitari. Scilicet, nihil huiusmodi ſine Dei nutu & voluntate hominibus accidere, illa autem, quæ propitio Numine ſine culpa noſtra eueniunt, in bonis potius, quam malis numeranda eſſe, intelligebat. Hoc animo affectus ne mortem quidem, quam non longe abeſſe, indiciis quibusdam cognoverat, magnopere extimeſcebat, ſed vitam Deo repoſcenti libenter reddebat, etſi nondum quinquageſimum ætatis annum ingreſſus. Quod ſi non ſpatium naturæ debitum, tamen virtutis partes impleuit, & tempus ſibi conceſſum ita collocauit, vt etiam gloriæ, ſi quidem illam appetiuiſſet, ſatis vixiſſe videretur.

---

# *SCRIPTA BEYERIANA.*

DElineatio Iuris Ciuilis, ſecundum Inſtitut. & Pandectas, atque Feudal. ad fundamenta ſua reuocati, & ad ſeculi uſum accommodati, Poſitionibus ſuccinctis comprehenſa, Editio Quarta ab auctore recognita, nouisque ſcholiis, maximam partem practicis, & indice rerum uberrimo aucta, Lipſ. 1715. 4.

*Delineatio Iuris Ciuilis & Delin. Iur. Feudal. antea ſeparatim prodierant. Lipſ. 1692, & 1693. 8.*

Volckmannus Emendatus, ſiue Manuale Aduocatorum & Notariorum. Lipſ. 1695. 1708. & 1721. fol.

Schediaſma de utili & neceſſaria Autorum Iuridicorum & iuris arti inſeruientium notitia, exhibens indicem autorum, quos recitandos & excerpendos ſibi propoſuit, cum ſpecimine futuri laboris, duas Autorum Decades ſiſtente. Lipſ. 1698. 8.

Notitiæ Autor. Iuridic. ſpecimen II. XL. ſcriptores continens. Lipſ. 1701. 8. & ſpecimen III. continens. XL. ſcriptores, quibus abſoluitur Centur. I. Lipſ. 1705. 8.

Unvorgreifliches Bedencken vom Rechte des Sabbaths und der üblichen Kirchen-Ceremonien, auf Veranlaſſung einer von dieſer Materie unter Hrn. Io. Sam. Stryckii, JCti in Halle / Præſidio gehaltenen Inaugural-Diſput. zu fernerer Unterſuchung entworffen. an. 1703.

Thematum ex vario iure Select. Cent. Lipſ. 1713. 4.

Delineatio Iuris diuini naturalis & poſitiui vniuerſalis ad fundamen-

menta ſua reuocati, & ad iura humana, quibus vtimur, accommodati, Poſitionibus ſuccinctis comprehenſa. Lipſiæ 1726.

Delineatio Iur. Crim. ſecundum Conſtit. Carolinam cum legibus variarum prouinciar. collati, & ad vſum hodiern. attemper. Poſit. ſuccinct. compreh. ex textu authentico, ſcholiis atque indicibus inſtructa. Lipſ. 1722. 4.

Fecit præterea Obſeruationes quasdam Halenſes, ex quibus Obſ. 9. Tom. I. ipſe ſibi vindicat in præf. ad Hotmanni Anti-Tribon.

Specimen Iuris Germanici, poſt fata Autoris curante Mich. Henrico Gribnero editum Halæ Magdeburgicæ 1718. & editio ſecunda cum præmiſſa Diſſ. de iuris Germ. fontibus D. Chriſtiani Godofr. Hoffmann. ſub Titulo Delineatio Iuris Germanici, cui ex Manuſcriptis Schedis acceſſ. nonnulla Libri II. capita & Liber III. prodiit Lipſiæ 1723.

Diſſertationes & opuſcula de ſelectis iuris publici & priuati Argumentis conſcripta, in vnum volumen collecta, quibus adiecta thematum ex vario iure ſelectorum centuria. Lipſ. 1723.

## *Scripta aliorum a BEYERO collecta & edita.*

Franciſci Hotmanni, JCti, Anti-Tribonianus, ſiue Diſſertatio de Studio Legum. Præmittitur Chriſt. Thomaſii Delineatio Hiſtor. Iuris Roman. & German. ſubiuncta in fine accuratiori formatione ſtatus controuerſiæ circa quæſtionem de vſu moderno Iuris Romani in Germania. Lipſ. 1704. 8.

Ordnung des Peinlichen Gerichts vom Käyſer Carolo den V. und des H. Röm. Reichs Churfürſten / Fürſten und Ständen aufgerichtet / mit einem Regiſter aller darinnen enthaltenen Artickel und D. G. Beyers Vorbericht von denen Urſachen dieſer neuen Auflage. Leipzig / 1724. 8.

Caſp. Ziegleri, JCti Vitemb. Diſceptationes Selectæ argumenti varii, ex Iurisprudentia Romano-Germanica forenſi. Lipſ. 1712. 4.

Brummeriana, ſiue Opuſcula quædam Iuridico-Hiſtorico-Philologica Frider. Brummeri, Lipſienſ. partim olim typis mandata, partim ex MS. nunc primum ed. cum præfat. de Iurisprudentia formularia, rituali & Symbolica. Lipſ. 1712. 8.

PRÆCO-

Digitized by Google

# PRÆCOGNITA, ARGUMENTUM FUTURAE TRACTATIONIS EXHIBENTIA.

## CAP. I.

1.

JUs concipi non poteſt (a) ſine conceptu Imperantis; Imperans vero concipi nequit, niſi ſuppoſita exiſtentia & providentia Numinis.

2. Providentia itaque divina fundamentum eſt omnis juris, & Atheiſmus (b) totam Juriſprudentiam deſtruit.

## CAP. II.

3. Scil. Jus eſt voluntas Imperantis, dirigens actiones humanas.

4. Humanæ actiones ſunt, quæ prælucente intellectu & determinante voluntate fiunt, vel certe fieri poterant.

5. Quas enim extra lumen intellectus & voluntatis libertatem poſuit creator, eæ ad Jus non ſpectant, neque imputantur.

6. Nempe imputare eſt exprobrare, cur ita quis egerit, & non aliter; adeoque effectus ex ejus actione reſultantes, agenti tribuere.

CAP.

---

(a) Diſſ. *Thom. in fundam. Jur. Nat.*

(b) Atheus eſt, qvi negat, Deum eſſe colendum i. e. amandum & metuendum. Non ergo, qvi negat cultum externum, vel attributa Dei.

28. Actio vero juſta vel præcepta eſt, vel permiſſa ſive licita.

29. Ad licitam non recte refertur actio impunis, quæ cum voluntate Imperantis plane non convenit.

30. Actio itaque humana ſecundum voluntatem Imperantis inſtituenda vocatur officium.

## CAP. IX. X.

31. Officiorum Jur. Nat. fundamentum eſt cura in quacunque ſocietate debite & tranquille vivendi, quæ uno verbo dicitur Socialitas.

32. Societas eſt unio plurium ad eundem finem, & intercedit vel hominibus cum Deo, vel hominibus inter ſe.

33. Homines inter ſe, quatenus ſine Imperii vel pacti vinculo conſiderantur, vocari ſolent *gentes*.

34. Speciales vero ſocietates, vel *familiam* conſtituunt, ut Conjugalis, Paterna, Herilis; vel *Rempublicam*, quæ vocatur Societas Civilis; vel intermedium quid, ut Univerſitas & Collegia.

35. Præceptum itaque Jur. Nat. generale eſt: Facienda ea, quæ ad quamvis Societatem neceſſario faciunt, & omittenda quæ eam deſtruunt.

## CAP. XI.

36. Societas Divina vult, Deum eſſe colendum.

37. Cultus vel internus eſt, vel externus.

38. Exernum ab hominibus exigi ex ratione non conſtat.

39. Internus conſiſtit in omnimodo obſequio, fiducia & ſpe certiſſima, ſummaque reverentia.

40. Fundamentum ejus eſt: quia Deus eſt perfectiſſimus & autor omnis perfectionis.

## CAP. XII.

41. Præcepta ſocietatis hominum inter ſe ſupponunt, ut vitam & vires animi & corporis conſervent & excolant in aliorum utilitatem.



Digitized by Google

## CAP. XIII.

42. Deinde, ut cum aliis agant tanquam æque hominibus, nec ſine ratione plus ſibi, quam aliis tribuant.

## CAP. XIV.

43. Inde fluunt præcepta de vitanda ſuperbia, contumelia & læſione, quorum priora duo vindictam per ſe non pariunt, ſecus ac tertium.

## CAP. XV.

44. Siquidem læſio proprietatis, etiam quæ opes concernit, non modo repelli, ſed & damni inde enati reparatio extorqueri poteſt.

## CAP. XVI.

45. Hinc porro fluit aliorum utilitatem pro virili promovendam eſſe.

46. Quod ſiquidem fiat ſine notabili incommodo proprio, vocatur *officium humanitatis*, ſi vero difficilior ſit præſtatio, vocatur *beneficium*.

47. Ad neutra tamen præſtanda cogi aliquis poteſt, niſi juſſu Principis, vel pacto antecedente; quemadmodum qui beneficium accipit, cogi non poteſt ad gratitudinem.

## CAP. XVII.

48. Jus imperfectum itaque perfectum redditur mediante pacto, quod eſt translatio juris noſtri mediante conſenſu facta.

49. Conſenſus eſt unanimis plurium voluntas circa præſtationem rei vel facti & omnes circumſtantias.

50. Eſtque vel expreſſus vel tacitus, qui ex factis conſenſus declarationem directe & unice inferentibus elicitur.

51. Conſenſus vero præſumtus, ex quo Jure Romano quaſi Contractus oriuntur, fictio eſt & non Ens.



Digitized by Google

## CAP. XVIII.

52. Pactis firmandis plerumque adhibetur Juramentum, ſ. oppignoratio ſalutis noſtræ omnimodæ ſub conditione veritatis.

## CAP. XIX.

53. Pactorum, Juramentorum & vitæ ſocialis totius inſtrumentum eſt ſermo, circa quem officia ſpecialia non dantur, ſed præcepta generalia adhibuiſſe ſufficit.

54. Huc pertinet interpretatio ſ. explicatio mentis ex conjecturis, de qua ex verbis certo non conſtat.

55. Eſt explicatio mentis ſ. intentionis, quæ plerumque ex ratione judicatur, ex eaque verba declarantur, extenduntur vel reſtringuntur,

## CAP. XX.

56. Pleraque pacta verſantur circa res, quas omnes juri humano ſubjecit Creator, quatenus homini uſui eſſe poſſunt; Dominium tamen rerum non ex natura, ſed ex facto humano cœpit, poſtquam communio univerſalis ob negligentiam in producendo, & prodigalitatem in conſumendo non amplius expedire viſa eſt.

57. Scilicet Dominium vel proprietas eſt Jus excludendi alios a re aliqua.

58. Iſtud vero jus cum ad attributum perſonæ ſpectet, derelinqui in totum, vel pro parte; & vel ad tempus, vel in perpetuum transferri poteſt.

59. Ceterum id operatur, ne quis alterum in uſu & diſpoſitione ejus libera turbare vel impedire ullo modo poſſit.

60. Porro, ut, qui rem alienam bona fide tenet, faciat, ut ea Domino quantocyus reſtituatur cum acceſſoriis, eoque quanto locupletior poſſeſſor factus eſt.

61. Qui vero delicto ſuo rem occupavit, id omne reſtituit, quod Dominus exinde percipere potuiſſet.

CAP.

Digitized by Google

## CAP. XXI.

62. Producitur Dominium:

1. Occupatione rei nullius.

2. Acceſſione ex re vel opera noſtra.

3. Uſucapione per tantum tempus, ex quo derelictio præſumi poteſt, vel quantum coërcendæ Civium negligentiæ in Republica præſcriptum eſt.

## CAP. XXII.

63. Transfertur dominium vel abdicatione corporali ſ. traditione, vel citra eam.

64. Et hoc modo iterum vel pacto, vel ſola deſtinatione offerentis, quo referri poſſunt ultimæ voluntates, tum expreſſæ, tum præſumtæ in Succeſſionibus ab inteſtato.

## CAP. XXIII.

65. Translatio rerum cum rariſſime gratis fiat, neceſſe eſt eas invicem conſiderari ſecundum quantitatem moralem ſ. valorem.

66. Cum autem valor iſte ad juſtam proportionem rariſſime poſſit reduci, invenienda erat menſura ejus univerſalis et ita diviſibilis, ut omnibus proportionibus reſpondeat.

67. Utrumque vocatur pretium; Illud vulgare, Hoc eminens.

68. Illius regula non adeo utilitas eſt, quam raritas.

69. Hoc dependet ab auctoritate Reipubl. & requirit materiam raram, durabilem & in quaſcunque partes diviſibilem.

## CAP. XXIV.

70. Diſſolvuntur obligationes vel ſatisfactione, vel remiſſione.

71. Reliqua hominis officia concernunt Statum vel ſocietatem ſpecialem; nempe Conjugalem, Paternam, Herilem, Civilem, et diverſarum Civitatum inter ſe invicem.

CAP.

Digitized by Google

## CAP. XXV.

72. Societas Conjungalis eſt, quæ prolis generandæ gratia initur. Reliquæ Leges eam dirigentes ex jure Divino Revelato requirendæ ſunt.

## CAP. XXVI.

73. Societatis paternæ finis eſt, ut proles recte educetur, & in membrum civitati humanæ utile formetur; quo ipſo officium parentum abſolvitur.

74. Officium liberorum eſt, ut quamdiu educantur vel aluntur, parentibus obedientiam, poſtea reverentiam exhibeant.

## CAP. XXVII.

75. Societas herilis ſemper præſupponit pactum, quod vel ex indigentia, vel ex captivitate bellica initur.

76. Vtraque Servitus illicita non eſt, etiam inter Chriſtianos, quamvis hodie non uſurpetur.

## CAP. XXIIX.

77. Societati Civili occaſionem præbuiſſe videtur metus ab invaſionibus aliorum.

## CAP. XXIX.

78. Civitas itaque requirit unionem perfectam & perpetuam.

79. Talis unio eſſe non poteſt ſine ſumma poteſtate, cujus voluntas omnium voluntatem repræſentet, & ab omnibus ſuſtentetur.

80. Imperantis itaque eſt, ſalutem publicam tum reſpectu Civium inter ſe, tum reſpectu aliarum Rerumpubl. omnibus viribus promovere.

81. Ac ipſi proinde jus eſt faciendi omnia, quæ ad finem iſtum conferre aliquid poſſunt, & vocantur Regalia.



Digitized by Google

## CAP. XXX.

81. Imprimis Principis eſt proſpicere, ut ſubditi cultum divinum ſecure & commode exerceant. Itaque Jus Sacrorum ad eum pertinet.

## CAP. XXXI.

83. Porro ſecuritas civium inter ſe maxime indiget pœna, delinquenti inferenda: ut reliqui cives a ſimili delictorum genere abſterreantur. Ea enim quaſi Medicina civitatis eſt.

84. Atque adeo a vindicta differt, quod hæc intereſſe privatum, ſatisfactionem & cautionem: illa intereſſe Reipubl. reſpiciat. Hæc non niſi in ſtatu naturali, illa non niſi in ſtatu civili obtineat.

## CAP. XXXII.

85. Securitas ab exteris impetratur, vel impetrari creditur 1.) per bellum, quod vel defenſivum eſt, vel vindicativum.

## CAP. XXXIII.

86. 2.) Per fœdera, quæ ſunt pacta inter diverſas Respubl. ſuper iis negotiis, quæ Jure naturæ perfecto non debentur, & tamen vel ad ſecuritatem, vel ad bonorum affluentiam faciunt.

## CAP. XXXIV.

87. Negotiis inter diverſas Reſpubl. expediendis inſerviunt Legati, quorum tamen inviolabilitas novo & ſingulari juris naturæ vel gentium præcepto non innititur.

88. Subditorum officium eſt, Principi promte & ſine exceptione obedire & credere nihil ab eo fieri, niſi quod Reipubl. expediat.

89. Reliquæ Societates intermediæ cum ad varios fines inſtituantur, hac inprimis nituntur regula: Omnia fieri debere, quæ ad fines iſtos conſequendos faciunt.

90. Cumque auctoritate Principis ſuſtineantur, exinde etiam Leges accipiunt.



Digitized by Google

# CAP. I.

## DE EXISTENTIA ET PROVIDENTIA NUMINIS.

I.

NUllum jus eſt, niſi ſit Imperans: nullus Imperans eſſet, niſi Deus exiſteret, et providam gereret rerum humanarum curam.

2. Itaque circa quæſtionem de Deo inquirendum 1. De Ejus exiſtentia. 2. De providentia. Circa exiſtentiam evincendum eſt: DEUM ESSE, ET DEUM NIHIL ESSE EX REBUS CREATIS.

3. Illud ita *demonſtramus*: (*a*) Homo non ſolum, ſed et reliquae creaturæ maxime inclinant ad ſui conſervationem.



(*a*) Separanda hic ſunt argumenta vulgaria et imbecilliora a firmioribus: ad illa refero 1) *Carteſianum: cogito de Deo, ergo Deus eſt*, quia non poſſum de eo cogitare, niſi tanquam de Ente exiſtente. Ergo inquam Deus tantiſper eſſet, quamdiu de eo cogito, nec ante eſt, quam de eo cogitem. 2) *Deus poteſt eſſe, ergo Deus eſt.* Quo pertinet tractatus *Cardinalis de Cuſa*, de *POSSE EST.* Quod argumentum cum præcedente ejusdem generis eſt. 3) *In omni Entium claſſe datur ens perfectiſſimum*, ergo in claſſe entium intellectualium Deus. At enim vero Entia intellectualia ratio ſibi relicta ignorat. (4) *Quicquid omnes gentes credunt, illud eſt verum.* Imo vero cauſa, propter quam id omnes credant, examinanda eſt, & ad evidentiam vel ſenſuum vel ratiocinationis revocanda eſt, quod enim fide humana credimus, id nunquam apodictice certum eſt, ſed probabile, & ſcire eſt rem per argumenta ſ. cauſas (nempe non cauſas objecti, ſed ſcientiæ rationes) cognoſcere.

4. Non tamen eam obtinere poſſunt, ſed poſt tempus aliquod reluctantes etiam deſtruuntur.

5. Quodcunque vero a ſe non poteſt conſervari, illud a ſe non poteſt exiſtere.

6. Si enim ſibi continuationem dare non poſſunt, multo minus dare poterunt principium: quippe qui primam ſibi dat exiſtentiam, dare quoque poterit ſubſequentes.

7. Et a parentibus nos eſſe, quotidiana docet experientia, at et hi intereunt: interiit quoque primus, neque adeo a ſe fuit; ſed ab Ente, quod genere eſt diverſum, et longe perfectius.

8. Siquidem nemo ex libera voluntate et ſolis viribus ſibi acquiſitis aliud ſibi quoad perfectionem aequale producere poteſt, ſed ſemper ignobilius. Idque eſt, quod dicunt: Cauſam ſemper eſſe nobiliorem effectu.

9. Et ſi homo non ex neceſſario Naturæ curſu, ſed per ſe poſſet exiſtentiam dare liberis ſuis, iisdem quoque dare poſſet conſervationem.

10. Neceſſe ergo eſt, ut id, a quo provenimus, ſit nobis longe nobilius.

11. Idque non in partibus certis tantum; ſed in omnibus conjunctim.

12. Jam perfectiones hominis potiores ſunt Subſtantia, (ſeu quod per ſe exiſtat) Locomotiva, & ratio.

13. Adeoque quando quærimus, quid ſit Deus, ſeponimus primo arte facta, Plantas & animalia, quæ pro Diis habere velle ſtolidiſſimum eſt *Rom. I. 21. ſeqq. Sap. XIII. Baruch. cap. ult.* cum a ſeipſis non ſint.

14. Seponimus deinde affectiones corporum, ut Somnum, Morbos, Mortem: quia hæc per ſe non ſubſiſtunt, ſed qualitates, adeoque Accidentia ſunt.

15. Sidera denique ſeponere velle, ſi ſoli rationi innitamur, perquam difficile eſt, quia ex ratione non deprehendimus, ea corrumpi.



Digitized by Google

16. Quando enim dicunt, eadem mutari, & omne, quod mutatur, corrumpi.

17. Vereor tamen, ut ſiderum mutationes, ex lumine Naturæ pro veris indubitato haberi poſſint. (*a*)

18. Forte itaque ſic procedendum: Sidera moventur, ſed non a ſe ipſis, cum extra circulos ſuos evagari non poſſint.

19. Ergo motus cauſam ab alio accipiunt, non ſecus ac horologia.

20. Interim tolerabilior eſt ſuperſtitio ſidera adorantium, quam Creaturas mortales, vel ſtatuas & imagines fabrefactas. Vid. *Sap. XIII. 6. &* 10. *Sir XLIII.* 1-4. (*b*)

21. Jam patet, ea, quæ motum & conſervationem a ſe ipſis non habent, ab alio Ente, tanquam principio ad conſervationem & motum eſſe ordinata.

22. Hoc principium rebus quidem contradiſtinctum, ipſis tamen longe perfectius eſt, & omnes comprehendit.

23. Non ergo ab ulla creatura comprehendi poteſt, (*c*) quia productum æquale non poteſt eſſe ei, a quo producitur. Add. *Sir. XLIII.* 29-37. *Rom. XI.* 33. *ſqq.*

24. Et quomodo a *ſingulis* comprehendi poſſet, quod *omnia* comprehendit.

25. Hoc vocamus DEUM, Ens undique per ſe perfectiſſimum a ſe ipſo exiſtens, adeoque æternum. 26. Sci-

(*a*) Planetæ ſub ſole tranſeuntes olim pro nubibus habebantur, & hodieque Sonnen-Wolcken deprehenduntur, ecquis vero eas in ipſo ſolis corpore exiſtere certo affirmare poteſt? Ita luna mutatur non ad interitum, ſed quemadmodum terra: Es wird Land zu Waſſer, und Waſſer zu Land, cujus exemplum Reſpublica Belgica & Veneta præbent.

(*b*) Ita *Horat. ſermon. Lib.* 1. *ſatyr.* 8. de Priapo:

Olim truncus eram ficulnus inutile lignum,
Quum faber incertus ſcamnum faceretne Priapum
Maluit eſſe Deum, Deus inde ego furum aviumque
Maxima formido. &c.

(*c*) Novimus QUOD ſit Deus, ſed Quid ſit ignoramus, licet ſciamus QUID NON ſit, unde Apoſtolus infert, nos Deo quodammodo pares futuros, quando eum a priori cognoſcemus, *I. Joh. III.* 2.

Digitized by Google

26. Scilicet ſine principio; nam cœpiſſe aliquando, & tamen a ſe cœpiſſe contradictio eſt.

27. Quod enim nondum eſt, nondum poteſt agere, i. e. ſuam ſibi exiſtentiam dare. Adde Petr. Molinæum vom Erkäntniß Gottes.

28. Et ſine fine, quippe quod a ſe eſt, neceſſario eſt; & ſe ipſum conſervare poteſt.

29. Jam ad providentiam: Hanc præter multa & optima aliorum *argumenta* (a) ita demonſtramus.

30. Sine quo homo, qua talis, ſubſiſtere nequit, illud ut ſit neceſſe eſt. At ſine providentia divina homo qua talis ſubſiſtere nequit: Ergo providentia divina ut ſit neceſſe eſt.

31. Conſequentia perſpicua eſt, quia homines exiſtunt. Aſſumptum vero facile probari poteſt,

32. Scilicet id, quod nos intellectum ſ. rationem vocamus, neceſſe eſt, ut eminentiſſime ſit in DEO.

33. Quia Intellectus eſt comprehenſio rerum; neceſſe vero eſt, ut Deus comprehendat, quæ ex libero arbitrio produxit. *Sir. XLII. 15-25.*

34. Jam potiſſimum criterium Intellectus eſt, ne quis agat ſine fine.

35. Intendit ergo, ut id, quod producit, ad finem ſuum conſervetur.

36. DEus ergo intendit conſervationem Creaturarum.

37. Et quidem inanimata & vegetabilia atque ſenſitiva per modum inſtinctus & impetus cujusdam ad ſui conſervationem



(a) v. g. Homo a Deo eſt, ergo a Deo conſervatur, jam conſervatio eſt connexio multarum exiſtentiarum, ſicut linea eſt connexio plurium punctorum. Aliud argumentum frequenter requiritur ex mirabili combinatione & revolutione caſuum humanorum inprimis Rerumpublicarum. Tertium argumentum eſt: ſi Deus radios præſentiæ ſuæ a rebus creatis retraheret, uno momento omnia evaneſcerent. Spiritus enim ejus expandit, connectit atque fulcit materiam, facitque, ut ea ſenſibus percipiatur. De vi ſingulorum argumentorum dictum inter diſſerendum.

Digitized by Google

*impelluntur*, (*a*) cum ſe & actiones ſuas non cognoſcant. Quanquam et his ſpecialem Numinis providentiam non ſubtrahi ex lumine revelato ſatis conſtet. *Luc. XII.* 6. ſeq.

38. At homini, qui actiones ſuas & ſe ipſum cognoſcendi facultate pollet, libertas Phyſica relicta eſt ſeſe conſervandi vel deſtruendi, & omnia ſurſum deorſum vertendi.

39. Non ergo ſupereſt, qvod cohibere ipſum poſſit, niſi frenum morale, metus (*b*) nempe alicujus imperantis.

40. Et ita DEum obſervare actiones humanas neceſſe eſt, quia vult, homines conſervari.

41. Siquidem ad conſervationem ſui genus humanum nihil impellit, niſi obligatio.

42. Obligatio nulla eſt, niſi adſit metus pœnæ.

43. Hic vero nullus eſt, niſi Legiſlator actiones ſubditorum obſervet.

44. Quomodo enim DEus punire poterit, quod non obſervat? (*c*)

45. Quod autem contra providentiam DEI nonnulli movent, bonis male, malis bene eſſe, (*d*) hoc ſolide diſcuſſit *Thomaſius in introduct. Ethic. cap.* 3. §. 20. *ſeq.*

CAP.

(*a*) Adeo ut & futura præſagiant, v. g. ciconiæ incendium, canes, ululæ &c. mortem homis, at homo, niſi moribundus, regulariter nihil præſentiſcit.

(*b*) Non ignoro, alios ipſam ſui conſervationem pro ejusmodi freno habere, & aſſerere: non opus eſſe, ut ſeparatas malefactorum pœnas a Numine infligendas ratiocinando quæramus, cum cuilibet actui inhoneſto inſit pœna, effectus ſcil. neceſſario & inſeparabiliter inde conſequens v. g. vagæ libidini morbus Gallicus, voluptati debilitatio corporis & effœminatio animi, avaritiæ ſumma ſtoliditas, crudelitati odium & exinde violentus interitus, luxui & prodigalitati egeſtas & contemtus, fraudi deceptio oppoſita &c. verum ea perpetua non ſunt, & ſæpiſſi ne evitantur; quin aliquando videmus peſſima crimina autoribus ſuis in hac vita optime ceſſiſſe.

(*c*) Aliud idque fortiſſimum providentiæ divinæ argumentum infra *cap. XI. poſ.* 19. expoſui.

(*d*) Hoc dubium ſæpe anxios tenuit *Davidem Pſ. LXXIII. Jobum. C. XXI. &* 21. aliosque, ſed a Deo reſolvitur, & animo ejici ſerio jubetur *Malach. III.* 13-18. *II.* 17.

Digitized by Google

# CAP. II.

## DE ACTIONIBUS HOMINUM, QUATENUS LEGI SUNT SUBJECTÆ.

I.

EX iis, quæ antea *Poſ.38. ſeq. Cap. præced.* diximus, patet, non eſſe actiones Legi ſubjectas, niſi quæ ab homine, tanquam agente libero proveniunt.

2. Nam hæ demum ſunt, quæ homini poſſunt imputari.

3. Imputare enim eſt exprobrari, cur ita & non aliter fecerit.

4. Neque dubitandum, actiones, quas extra arbitrium hominum poſuit Creator, non impedire conſervationem.

5. Dico: quas poſuit Creator. Nam ubi ipſe homo vires agendi ſibi ſubtraxit, adeoque in culpa eſt, quo minus agere poſſit, ibi non ceſſat imputatio.

6. Jam actiones hominum vel corpus reſpiciunt, vel mentem.

7. Corpus reſpiciunt vegetatio, ſenſus, locomotiva. Animum Intellectus & Voluntas.

8. Vegetationem extra poteſtatem noſtram eſſe negari non poteſt. Conf. *Matth. VI. 27.* ubi Chriſtus argumentatur tanquam ab exemplo evidentiſſimo.

9. Idem dicendum eſt de ſenſibus, ſi terminos habiles ponamus.

10. Ita non poſſumus non etiam nolentes audire ſonum in diſtantia debita poſitum.

11. At locomotivæ maximam *partem* (*a*) pro lubitu dirigimus, ut vegetationem & ſenſus vel promoveat vel impediat.

(*a*) Scil. cohiberi poteſt pro lubitu, ſed ultra terminos ſuos non extendi. Ita homo non poteſt volare.

12. Intellectus ſe ſenſim nobis inſinuat ex inquiſitione in ea, de quibus cogitamus.

13. Adeoque *flecti* poteſt per demonſtrationes contrarias, non autem *cogi* per leges vel violentiam.

14. Et egregium medium eſt Hypocritas faciendi, ſi intellectui norma per Leges ſimpliciter præſcribatur.

15. Quamvis enim recte præſcribat princeps, ut ſileant ſubditi de certis doctrinis; id tamen per remedia coactiva effici nequit, ut quæ falſa ſibi videntur, pro veris habeant.

16. Voluntatis ordo in tribus fere actionibus conſiſtit, deliberatione decreto et conatu. Conf. *Cap. IV. Poſ.* 7-15.

17. Scilicet cuivis hominum inſinuatur certus indigentiæ ſenſus & amor earum rerum, quæ hanc indigentiam expellunt.

18. Neque vero prima functio eſt Intellectus, ſed voluntatis, nam & voluntas *percipit* (a) ſ. ſentit, licet non cogitet. Neque nova eſt opinio: Voluntatem imperare intellectui; ſed jam pridem a Scotiſtis defenſa, quibus ſubſcribit *Strimes. in praxiolog. apodict. c.* 3. *Sect.* 1. *ſubſect.* 3. §. 10. *ſeqq.*

19. Quippe voluntas in corde, Intellectus in cerebro operatur, ſed tamen alter alteri perpetuo aſſiſtit.

20. Iſta voluntatis perceptio involvit primam qvaſi quæſtionem, ſ. deliberationem, an ei individuo me velim applicare.

21. Et hæc vocatur *motus primus*, qvi extra hominis poteſtatem eſt, adeoque extra Legem *humanam*. (b)

22. Accedit, quod homo nihil tum determinaverit vel egerit, qvod pœnam mereatur.

23. Quæſtionem iſtam ſequitur *decretum*. v. g. me velle me iſti rei applicare, vel non.

24. Ubi

(a) Add. *Actor.* XXIIX. 26. 27.

(b) Nempe hic non quæritur de foro divino ejusque decretis non niſi ex revelatione cognoſcendis & primario ad beatitudinem æternam reſpicientibus. Unde huc non pertinet imputatio peccati originalis.

Digitized by Google

24. Ubi malim uti vocabulo decreti, quam *aſſenſus*, cum aſſenſus potiſſimum ſit actus intellectus, & contemplationem magis quam actionem reſpiciat.

25. Deinde etiam decretum tam in negativam quam affirmativam propendet, aſſenſus vero eſt una tantum ſpecies.

26. Hoc a me provenit, adeoque recte mihi imputatur, quia adhibita ſufficiente ratiocinatione poteram contrarium eligere.

27. Decretum ſequitur diſpectio de mediis, quæ vocatur conatus.

28. Hic declaratur vel verbis vel actis.

29. Facta iterum vel conſummationi delicti proxima ſunt, vel in actu remotiori ſubſiſtunt.

30. Uſus harum diſtinctionum eſt, quod decretum & conatus, qui nondum in facta erupit, ſi per ſpontaneam pœnitentiam elidatur, pœnam effugiat.

31. Nempe heic finis pœnæ ceſſat tum ratione delinquentis, quia iſte ſponte ſua ſe emendavit: tum ratione aliorum, quia his ſcandalum datum non eſt, ex quo malum exemplum capere poſſint: tum ratione ejus, cui noceri debuit, quia ipſi periculum metuendum non eſt.

32. At conatus, qui in facta, crimen antecedentia, præſertim graviora erumpit, pœnæ ſubjectus eſt; (a) licet ab eo delinquens iterum reſiliat.

33. Mitior tamen erit pœna, quam criminis conſummati, eaque iterum pro diverſitate graduum conatus diverſa.

34. Scilicet quo longius aliquis in decreto & conatu criminis proceſſit, eo gravior eſt imputatio.

35. Tam quia diutiorem occaſionem habuit propoſitum ſuum perpendendi, ſeque retrahendi:



(a) Uſus hujus doctrinæ in eo eſt, ne partim excedamus, & primos etiam motus puniamus: partim deficiamus, aliisque, quæ a nobis proveniunt, imputemus.

36. Quam quia damnum, quod intendit, magis magisque imminet. (*a*)

37. Ex dictis patet declaratio *Legis* 18. *D. de pœn.* an quis pœnam cogitationis patiatur.

38. Patet quoque veritas regulæ & ſubſumtionum, quas habet *Pufendorff. de offic. H. & C. L. I. c.* 1. §. 17. *ſeqq.*

39. Scilicet homo poteſt adſtringi ad rationem reddendam & ſuſcipiendos effectus earum tantum actionum, quas fieri vel non fieri penes ipſum eſt.

40. Adeoque I. mihi non imputantur actiones ab aliis patratæ, vel eventus aliunde provenientes,

41. Niſi quatenus 1.) easdem poteram & debebam moderari.

42. Vel niſi 2.) circa eas actu concurrerim.

43. Unde quatuor ſunt gradus imputationis, quæ mihi fit ex facto tertii, de quibus dixi §. 37. *C. II. Diſput. mea Inaugur. de Dote Liciniæ reſtit.*

44. Porro 3.) niſi Numen peculiares eventus procuraverit intuitu certi hominis. *Puf. d. O. H. & C. L. I. c. I.* §. 18. *in fin.*

45. Exempla (*b*) reperimus *I. Sam. XIV.* 37. *Joſua VII.* 11. & 12. 25. *Jerem. XXXII.* 29.

46. Sed comprimenda hic curioſa inquiſitio, neque culpa mali a Deo immiſſi temere in aliquem conjicienda. *Luc. XIII.* 3. *ſeqq.*

47. Imo

(*a*) Eum denique qui non ſponte a conſummatione delicti ſe abſtinuit, ſed in medio conatu per alios impeditus fuit, vel ex errore delictum (v. g. homicidium) conſummatum eſſe credidit, ordinariæ pœnæ ſubjici poſſe dubitandum non eſt. Hic enim, quantum in ipſo fuit, nihil quod ad conſummationem pertinet, omiſiſſet. Aliud tamen nolunt mores hodierni, in æſtimatione delicti maxime ad eventum reſpicientes.

(*b*) Exempla duplicis incendii in Pomerania intuitu imprecationum excitati affert *Franciſci* in der Schaubühne *Tom. II. pag.* 255. ſed fides non ſatis certa.

Digitized by Google

47. Imo cum Deus hodie ejusmodi eventuum cauſas ſpecialiter nobis non explicet, hanc limitationem tertiam applicari amplius non poſſe res docet.

48. Maxime poſtquam perpetuum omnium contra omnes de prærogativa pietatis & honeſtatis certamen ex philautia exortum non permittit, ut cuiquam perſuaderi poſſit, ſe calamitatem publicam facto ſuo acceleraſſe, quin potius ſemper alius alium accuſat, & luxurioſus rapacitatem & φιλαργυρίαν, avarus luxuriam &c. aliorum criminatur.

49. II. Quicquid eſt ſupra vires meas, non culpa mea attritas, id mihi non imputatur. Rationem dedi ſupra *Poſ.* 4. & 5. *hic Cap.* Add. *l.* 1. §. 13. *D. de extraord. cognit. Senec. de beneſic. Lib. VII. cap.* 13.

50. Unde ignorantia invincibilis, adhibita nempe circumſpectione, quæ vulgo ſufficere judicatur, extra imputationem eſt.

51. Talis autem non eſt ignorantia Legum, quæ ſcil. vivendi regulam præſcribunt, non quæ docent, quomodo negotia civilia caute peragi debeant.

52. Non naturalium, quæ facile ex ratiocinatione colliguntur.

53. Nec poſitivarum, quæ ad captum ſubditorum ſolent attemperari & ita promulgari, ut accedente diligentia ſubditorum facile innoteſcant.

54. III. Cui occaſio agendi deeſt, ei non imputatur, quod non egerit. vid. *Puſend. de off. Hom. & Civ. L. I. c. I.* §. 22.

55. IV. Quæ ex coactione perpetrantur ſi nullus accedat aſſenſus, non imputantur.

56. At ſi conſenſerim ex neceſſitate avertendi periculi ſummi, in dubio mihi imputantur.

57. Niſi certum ſit, eadem & alias fore ab aliis patranda & cogens pro autore haberi velit, neque ego periculo alio modo defungi poſſim.

58. Limitationem vero, cujus *Pufend. d. l. §.* 24. meminit: niſi expreſſe obligemur id, quod alteri eſt inferendum, noſtro malo redimere: non agnoſco.

59. Neque movet exemplum ſtupri materni, quod *Idem de J. N. & Gent. Lib. I. c. V. §. 9.* affert, præſertim quia ipſe expreſſam obligationem exinde colligere non audet, ſed *generoſum* ſaltem dicit, malle mori. Add. not. ad Puf. p. 38. ſeq.

60. V. Actiones ab iis, qui rationis uſu deſtituuntur, patratæ non imputantur.

61. Nec obſtat, quod infantes puniantur. Reſpond. impediuntur ſaltem, ne mali conſuetudinem ante attrahant, quam Legem cognoſcunt.

62. Et impediendi ſunt per medium, quod ſenſibus, tanquam moleſtum ſe ingerit.

63. Non enim niſi apprehenſione gaudent, conformatione actionum ſuarum ad voluntatem imperantis deſtituuntur.

64. Neque ergo imputantur, quæ quis in ſomniis agere videtur, quantum ad forum humanum.

65. Plerumque tamen ſomnia ſunt indicia aſſenſus, adeoque ab imputatione non plane excepta. Accedit, quod niſi otio & gulæ indulgeatur, non contingat. *Thomaſ.* Monathl. Geſpr. *Ao. 1688. pag. 59. ſeq. P. II.*

CAP.

# CAP. III.

## DE INTELLECTV, QVATENVS CIRCA ACTIONES HVMANAS OCCVPATVR.

I.

INtellectus functiones tres fere ſunt: Apprehenſio, Conformatio & Efficio ſ. efformatio.

2. Apprehenſio eſt impreſſio ſchematis rerum, quæ ſenſus externos tangunt. (*a*)

3. Conformatio eſt comparatio rerum diverſarum (*b*) ad inveſtigandam earum convenientiam vel differentiam.

4. Efficio eſt compoſitio totius ignoti, ex partibus notis; vel diviſio totius noti in partes ignotas.



(*a*) Atque hæc impreſſio demum ſenſus humanos conſtituit, ita quando intellectus in aliquam rem attentus & totus quaſi defixus eſt, neque res quæ ſenſus externos tangunt, neque actiones proprias apprehendimus v. g. non attendimus ad veſtitum puellæ, quam impenſe amamus, ad pulſum campanæ ſat propinquum, ad interrogationes amicorum præſentium, &c. atque tum dicimur ea non vidiſſe, nec audiviſſe, quæ tamen procul dubio hos ſenſus tetigerunt. Ita *Schwimmerus* im Phyſical. Zeitvertreiber. *P.* I. *Q.* 14. meminit eruditi cujusdam, qui in librum, in quo nimis attente legebat, expuebat, item alius, qui concioni audiendæ intentus & alios auditores in loco inferiori ſedentes conſpuerat.

(*b*) Si unicum tantum ens nobis ſe conſpiciendum præberet, ceſſaret quæſtio, quid ſit. Omnis enim definitio præſtruit conformationem (genus) & oppoſitionem (differentiam ſpecificam.)

5. Hæc tria vel ſola apprehenſio, utpote ex qua reliqua dependent, ſi plane abſint, emergit ignorantia,

6. Quæ non imputatur, modo I. ſit involuntaria ſ. invincibilis, quæ per debitam diligentiam excuti non poteſt.

7. Modo II. non ſit concomitans, ſed efficax, h. e. modo citra ignorantiam actio ſuſcepta non fuiſſet.

8. Circa juſtitiam actionum duæ potiſſimum priores functiones verſantur. Tertia ad prudentiam conſultatoriam magis pertinet.

9. Scilicet cognoſcitur primo voluntas Legiſlatoris, deinde ad eam conformantur actiones humanæ. (*a*)

10. Quæ conformatio, quatenus verſatur circa actiones proprias, vocatur Conſcientia.

11. Scilicet Conſcientia eſt judicium de noſtris actionibus, quatenus cum Lege conveniant.

12. Ergo Conſcientia, quæ pro norma actionum noſtrarum venditatur & Legi contradiſtinguitur, phantaſma eſt & non ens. vid. *Pufend. Jus N. & G. L. I. c. III.* §. 4. *in fin.*

13. Verſatur autem conſcientia vel circa actiones præteritas vel futuras.

14. Illa demonſtrat, quid exſpectandum ſit propter actiones proprias, & vocatur conſcientia conſequens.

15. Hæc determinat, quid agendum ſit, & vocatur Conſcientia antecedens.

16. Illa vel timorem ingerit, quoad mala futura, & deſperationem quoad præſentia, ſi deprehendat actum Legi contrarium, quod vocant conſcientiam *malam*. Add. *Sap. XVII.* 10.-13. *Sir. XIV.* 2. *Jobi XV.* 20-25.

17. Vel

(*a*) Hæc fluunt ex definitione Jurisprudentiæ, atque ita ſe habent circa voluntatem Imperantis expreſſam; in conſuetudine vero inverſo ordine proceditur.

Digitized by Google

17. Vel ſecuritatem circa mala futura & tranquillitatem circa præſentia, ſi nihil contra Legem inveniat, quæ *bona* conſcientia vocatur (*a*) Add. *Pſ. XCI. 1. Joh. III. 2. 1. Pſ. CXII. Job. XXXI. per tot.*

18. Hæc vel determinat actiones noſtras, vel quærit ſaltem ſine determinatione, verbo: dubitat.

19. Quamdiu autem dubitatur, an actio præcepta ſit, an prohibita, actio eſt ſuſpendenda, (*b*) & omnis opera danda, ut dubium quantocyus excutiatur.

20. Si dubitetur, an præcepta ſit, an permiſſa, erit ſuſcipienda.

21. Con-

(*a*) Non inepte *Thomas Morus Enchirid. Eth. Lib. I. cap. II.* §. 2. Summum
Bonum ſeu Beatitudinem (ea enim ipſi ſynonyma ſunt) definit, vo-
luptatem quam animus percipit ex ſenſu virtutis, recteque & ad virtu-
tis normam factorum conſcientia. Ita enim putat; Beatitudinem per
voluptatem potius, quam per ἐνέργειαν ſeu operationem definiendam,
quia ex communi omnium ſententia optimum bonorum humanorum
beatitudo conſetur, id autem optimum maximumque eſſe nequit,
quod alterius ſit gratia; virtutis autem operatio voluptatis cauſa
ſit, quæ voluptas conſideratur tanquam flos, ſummitas, perfectio,
& internum complementum cujusque operationis. Omnibus ani-
malibus ſuam propriam eſſe voluptatem, quæ ipſorum ſumma beati-
tudo deprehendatur; ita humanam beatitudinem humana in volupta-
te, quæ ex virtute percipitur, conſiſtere. Nempe animæ appetitum
non ferri in objectum, quatenus cognoſcibile, ſed quatenus bonum,
gratum, & congruum ſit, aut ſaltem quatenus conferat ad id, quod
jucundum, & ſummo gaudio animum implet. Indeque eſſe, quod
omnes mortales tam Philoſophi quam rudes, beatitudinem in volupta-
te ponant, & ipſi Theologi cœleſtem felicitatem per gaudium non in-
terruptum depingant.

(*b*) Hujus rei exemplum vix ſuppetere multi contendunt. Verum enim ve-
ro promtiſſimum eſt, ſi quis dubitet, an ſibi in religione Lutherana per-
ſeverandum, an cultus Romanus præferendus ſit.

Digitized by Google

21. Denique ſi dubites an permiſſa ſit, an prohibita, erit omittenda.

22. Conſcientia actiones noſtras determinans, vel recte judicat vel errat, unde in rectam & erroneam dividitur.

23. Error tunc imputatur, ſi adhibita debita attentione vinci potuerit.

24. Recta Conſcientia vel certis rationibus nititur, quæ vocatur demonſtrativa.

25. Vel rationes ignorat, quæ vocatur probabilis vid. *Poſ. 30. ſeqq.*

26. Illius regula eſt: recte faciendo neminem timeas. Add. *Proverb. X. 29. Sir. X. 31. ſq. Jeſ. LI. 12. -16.*

27. Modo abſit exceſſus acerbitatis & arrogantiæ. *Sir. X. 6. ſeq.*

28. Ita creditor debet eſſe cum efficacia benignus, & cum inſtantia humanus. *L. 23. princ. D. de Uſuris.*

29. Ita Jus dicendum eſt cum gravi humanitate & benigna juſtitia. *Nov. 18. c. 8. fin. & L. 19. D. de Offic. Præſ.* Add. *l. 9. §. 2. D. de Offic. ProConſ.*

30. Conſcientia probabilis eſt, qua firmiter creditur actum eſſe juſtum, utut juſtitia demonſtrari non poſſit.

31. Hæc faciliima eſt erroris occaſio, adeoque eruditis fere indigna.

32. Indoctos vero excuſat, ſi ſequantur Imperantem aut doctiores. Add. 2. *Feud. 28.* & noſtr. *poſit. feudal 22.-25. cap. 8.*

33. Media inter dubiam & determinantem eſt Conſcientia ſcrupuloſa, quam comitatur anxia formido, ne id, quod bonum putamus, malum ſit.

34. Ejusmodi ſcrupulus, ſi probabili ratione nitatur, actio erit ſuſpendenda, donec fuerit exemtus. *vid. Rom. XIV. 22. ſeq.*

35. Si

(a) Idemque dicendum, ſi aliis præſentes dubitent, atque alii offendantur *Rom. XIV. 13. 15. & 19. -23.*

Digitized by Google

35. Si ſaltem ex ſuperſtitione, vel morbo, ejiciendus eſt. vid. *Puſend. de J. N. & G. L. I. c. III. §. 9. & Becman. Conſpect. Moral. c. V. 8.-18.*

36. Addit quidem *Becmannus d. l.* ſpeciebus recenſitis Conſcientiam ſtupefactam & cauteriatam, ſed minus recte, ut puto.

37. Nam ſtupefactam vocat, quæ non revocatur ad examen actionum, niſi in graviſſimis criminibus.

38. Cauteriatam vero, quæ ne atrociſſimis quidem movetur.

39. His itaque caſibus Leges ad actiones noſtras non applicantur, ſed negliguntur, neque adeo adeſt Conſcientia.

40. Et nimis cruda phraſis eſt: Dormire & evigilare conſcientiam; nec ſatis quadrant ſimilia a *fabro ferraria*, qui corde noſtro pro incude utitur, a cane, ab erinaceo &c.

# CAP. IV.

## DE

## VOLUNTATE, IN ACTIONES INFLUENTE, EJUSQUE IMPEDIMENTIS.

I.

VOluntas eſt motus mentis noſtræ ad rem tendens, vel ab eadem ſe retrahens, prout ea bona videtur, vel mala.

2. Siquidem ſemper ad bonum trahimur, a malo avertimur.

3. Neque obſtat, quod nonnunquam malum noſtrum appetamus, ut alii conſerventur.

4. Ad hæc enim eleganter reſpondet *Puſend. de J. N. & G. L. II. c. III. §. 14.*



5. Hinc

5. Hinc patet, quam recte *Idem de off. H. & C. cap. I. §. 9.* ſex diverſa voluntatis officia ſtatuat: Tria circa finem, totidem circa media.

6. Scilicet approbatio finis & probatio mediorum ſunt actus intellectus, non voluntatis.

7. Et totus ordo proæreſeos hic eſt: Primo voluntas in nobis excitat aliquem indigentiæ ſenſum, eumque diverſum pro diverſa mixtura trium Affectuum Principalium: Avaritiæ, Ambitionis, Voluptatis.

8. Nec enim voluntas ab Intellectu, ſed hic ab illa movetur & inquinatur, vid. *Thomaſ.* Ausübung der Sitten-Lehre, *cap. I.* §. 25.-30. & quæ ſupra diximus *cap. II. Paſſim.*

9. Hinc voluntas appetit aliquod remedium hujus indigentiæ.

10. Porro intellectus circumſpicit fines diverſos.

11. Deinde eos inter ſe confert, & optimum approbat.

12. Hunc voluntas intendit, ſive deſiderat, i. e. ad eum efficaciter ſe movet.

13. Intercedit iterum Intellectus dictitans, media ad finem obtinendum eſſe neceſſaria, ex iisque optima eligit.

14. Hæc apprehendit voluntas & mediante locomotiva uſurpat.

15. Demum ſi per ea finem obtinuerit, placide in eo acquieſcit, quod vocatur fruitio.

16. Nolim vero hæc ita intelligi, ac ſi voluntas absque intellectu, vel hic absque illa operetur: ſemper enim concurrunt, ſed nunc hic, nunc illa præ altero magis occupatur.

17. Neque id intendo, quaſi hæ functiones internæ temporis interſtitiis ſibi ſemper ſuccedant; ſæpe enim non tempore adeo, quam natura ſunt priores & poſteriores.

18. Dignoſcenda itaque ſunt media a finibus, & horum bonitas inveſtiganda.

19. Quod

19. Quod enim media pro finibus vulgo habeantur, abſurdas facit & infelices actiones humanas, quod exempla eorum demonſtrant, qui opes, honores, vel voluptates corporis pro fine habere ſolent, qui non edunt, ut vivant, ſed vivunt, ut edant, qui veſtitum non habent propter corpus, ſed corpus propter veſtitum, qui opes non poſſident, ſed ab opibus poſſidentur. *Sir. XIV*, 3.-10. qui tolluntur in altum, ut lapſu graviore ruant.

20. His præſuppoſitis aſſerenda ſpontaneitas & libertas voluntatis, quæ clarius in ſenſus incurrit, quam ut dubium ſupereſſe poſſit *vid. ſupr. notata ad poſ. 26. cap. 2.*

21. At inquis: Deus in puncto æternitatis ſciebat omnes actiones meas, adeoque neceſſario ago.

22. Eſto; at non agis coacte, & Deus præſciebat actiones tuas ex hypotheſi liberæ voluntatis tuæ.

23. Angeli inſuper neceſſario laudant Deum; electi in vita futura neceſſario non peccabunt; Deus ipſe neceſſario bene agit; & omnes tamen libere.

24. Inſtas: ſæpiſſime optima ratione ſubnixus, & omni circumſpectione adhibita, egi, nec tamen finem propoſitum obtinui. Reſp. ita arbitrio tuo exemti ſunt eventus futuri, non vero actiones tuæ.

25. Imo pergis: Homo neceſſario appetit bonum; quale ergo voluntatis arbitrium?

26. Recte: ſed neceſſario appetit bonum in genere, Electionis vero arbitrium ſupereſt quoad certa individua.

27. Sunt enim plures res, quæ mixturam boni & mali continent, adeoque diverſimode ſe offerunt.

28. Imo omnia ſublunaria ex bono & malo ſunt mixta; quamvis pro frequentia & raritate diverſæ applicationis aliæ boni, aliæ mali naturam ſæpius induant. vid. elegantiſſimus libellus *Petr. Molinæi* vom Seelen-Friede / *Lib. II. per tot.* quod Rex Eccleſiaſtes innuit: Es iſt alles eitel.

 29. Quæ

29. Quæ ut clariora fiant, conſiderabimus naturam boni & mali.

30. Bonum non vocatur, niſi in applicatione ad aliud. *Strimeſ. Orig. moral.* diſſert. *I.* §. 2. & huc forte pertinet effatum *Sirac. XXXIX*, 39. *ſeq.*

31. Quid enim proficit, Diabolum bonum vocari in ſignificatu abſoluto, quia exiſtit. conf. *Pufend. de J. N. & G. L. I. c. IV.* §. 4.

32. Bonum itaque eſt, quod rem aliquam in ſua eſſentia & exiſtentia conſervat vel auget.

33. Malum eſt, quod rem deſtruit vel minuit.

34. Id enim eſt, quod dicunt, enti congruere vel repugnare. Add. *Strimeſ. Orig. moral. Diſſ. I.* §. 3.

35. Itaque quod neceſſarium non eſt ad conſervationem, non eſt bonum, v. g. inſignes honores reſpectu certi individui, opum affluentia, elegans corporis forma, conjux pulchrior, lautitia victus &c.

36. Neque malum eſt, niſi quod deſtruit vel minuit. Unde ad mala referri non poteſt defectus præcedentium.

37. Conſervatio vero vel deſtructio æſtimatur ex duratione. (*a*) vid. *Thomaſ.* Einleitung zur Sitten-Lehre. *Cap. I. n. 6. ſeqq.*

38. Adeoque brevis conſervatio, quam maturata & diuturna deſtructio ſequitur, vel breve augmentum, ex quo imminutio oritur, malum eſt, & vice verſa.

39. Jam conſtat, conſervationem, quæ extra proportionem augetur vel minuitur, malum inferre.

40. Præſtituit enim Creator certa tempora, quibus perfectio hominum lente obtinetur, & iterum deſinit.

41. Cumque duratio macrocoſmi conſtet ordinato & lento motu

(*a*) Huc pertinet illud Solonis: *Reſpice finem.* Exempla præbent medicamenta ad venerem armantia. Ingurgitatio vini, cujus uſus quilibet juvenibus apud Lacedæmonios interdictus, aromata exotica, &c.

Digitized by Google

motu corporum; cur idem non ſufficere judicatur ad durationem microcoſmi.

42. Hanc proportionem qui prævertit, deſtructionem accelerat, nec multum abſimilis eſt rotulas horologii cohærentes violenter moventi.

43. Itaque vides, omnia, quæ ſenſus nimis vellicant, & afficiunt, *mala eſſe*, (a) quia modum temperatum impediunt.

44. Porro cum diverſa ſenſuum organa conceſſerit Creator, non unicum tantum occupari decet, ſed omnia alternis.

45. Omnibus enim uti debemus, ut labor alterius quietem alteri conciliet.

46. Vulgaris autem diviſio boni in honeſtum, utile & jucundum, non tam rem reſpicit, quam conceptum. vid. *Thomaſ. Introd. cap.* 1. *per tot.* imprimis §. 91. - - 109.

47. Scil. hæ non ſunt tres diverſæ ſpecies, ſed tria cujuslibet boni requiſita.

48. Id ſaltem dubii ſupereſſe videtur, quod bona honeſta ſæpius ſint injucunda.

49. Verum heic jucunditas vel præſens tantum reſpicitur, vel ex prava aſſuetudine judicatur, vel ſenſuum titillatio delectationi animi præfertur, vel homo extra ſtatum naturalem conſideratur. v. g. ein Glied einrencken.

50. Et longe aliud eſt, eſſe jucundum; aliud: Eſſe bonum jucundum.



(a) At quid de tactu venereo, qui tantus eſt, adeoque nervos afficit, ut eum epilepſiæ ſpeciem nonnulli vocaverint; ſine quo tamen generatio eſſe nequit? *Reſp.* abfuturam fuiſſe in ſtatu integro tantum Syſtematis nervei concitationem nullus dubito, nec impedit, quo minus mala vocetur, quia diſſipat Spiritus, humidum radicale & vim balſamicam imminuit; ſed malum neceſſarium eſt, & poſt ſanctificationem & beatitudinem divinam malum eſſe deſiit; verum hæc ex revelatione diſcimus.

51. Jamque adeo vides diverſa voluntatis objecta, quorum alia ab aliis eliguntur.

52. (1.) Bonum præſens tantum, & bonum durabile.

53. (2.) Bonum ex natura: & ex ſiniſtra asſuetudine.

54. (3.) Bonum unius ſenſus tantum, & omnibus ſenſibus alternative competens.

55. (4.) Bonum ſenſus afficiens & animum tranquillum reddens.

56. (5.) Bonitas mediorum non niſi pro fine obtinendo adhibendorum, quæ mala fiunt, ſi pro fine habeantur, adeoque nimis uſurpentur.

57. (6.) Quod mihi bonum videtur, licet aliis eo noceam; Et quod conſervat ſalutem communem.

58. (7.) Bonum, quod non attentis circumſtantiis malum fieri poteſt v. g. ſi medicina ſano corpori applicetur. Huc pertinent bona comparativa.

59. In omnibus hiſce diverſa eligit homo, prout ſufficiens præceſſit cognitio, vel non; ad neutrum enim impellitur voluntas per violentiam.

60. Inclinatur tamen voluntas non nihil ad malum 1. nimia cupiditate hominum infinitos ſe reddendi.

61. Ex qua non niſi perpetua contra legem reluctatio emergere poteſt.

62. Tum ob pravam mortalium curioſitatem.

63. Tum ob indignationem circumſcriptæ libertatis. Add. Collegium curioſum Pariſienſe ſ. occulta naturæ, VIII. Geſpräch.

64. Quam in rem eleganter *Auguſtinus L. II. confeſſ. c. 6. in fin.* Libuit facere contra legem, ſaltem fallacia, quia potentatu non poteram, ut mancam libertatem captivus imitarer faciendo impune quod non liceret, tenebroſa omnipotentiæ ſimilitudine.

65. 2. Naturali diſpoſitione, quæ ratione integrarum nationum oritur ex influxu ſiderum & qualitate climatis.

66. Ita Itali in Venerem, Angli in factiones, Hiſpani in ſuper-

ſuperbiam &c. inclinare dicuntur. Conf. *ad Tit. I. 12.* & *Thom. Brown. Relig. Med. p. m. 359. & 364. Barclaji Icon animorum.* (a)

67. Quamvis & hic, ſi recte attendas educatio, aſſuetudo & autoritatis præjudicium potiſſimam partem conficiant.

68. Ratione ſingulorum hominum vero oritur ex diverſa complexione & mixtura humorum in corporibus.

69. Ita ſanguinei in Venerem, Melancholici in avaritiam, Cholerici in ambitionem &c. propendunt. vid. *Thomaſ.* Ausübung der Sitten-Lehre / *c. VII. §. 5.-8. & paſſim.*

70. Conſuetudo ſeu frequentia ejusdem generis actionum. *Becmannus* eam definit: fluxum Exemplorum.

71. 4. Affectus, qui excitantur ſub ſchemate vel boni conſequendi, vel mali declinandi.

72. Cum autem tolerabilius ſit, carere bono non omnino neceſſario, quam excipere malum ad deſtructionem tendens; Inde hi plus veniæ merentur, quam iſti; quod ex exemplis furis & homicidæ conſpicitur.

73. 5. Morbi uſum rationis impedientes.

74. Hi non imputantur, niſi ultro accerſiti, v. g. ebrietas. (b)

75. Neu-

(a) Notatu quoque dignus de hoc argumento locus, & quaſi hujus materiæ in Jure civili ſedes eſt, in l. 31. §. 21. *ff. de ædilit. edict.*

(b) Scil. ebrietas imputatur quoad reparationem damni ab ebrio dati, non vero quoad pœnam criminis ordinariam, ſi id a ſumme ebrio commiſſum ſit; wenn er ſchweren, oder in der Tortur erhalten kan / er ſey ſo truncken geweſen, daß er von ſeinen Sinnen nicht gewuſt. Non ignoro, a multis obtendi: in ebrium delinquentem duplici pœna animadvertendum eſſe: tum quod potu nimio uſum rationis ſuffocaverit, tum quod deinde delictum patraverit. At enim vero, licet prius tantisper concedam; ad pœnam criminis ordinariam requiritur, ut ex proæreſi commiſſum ſit, quod de ſumme ebrio dici nunquam poteſt. Neque recte arguitur: qui conſentit in antecedens, conſentit etiam in conſequens, ſi hoc non conſequatur neceſſario, neque ipſe de eo cogitaverit. Aliud tamen dicendum, ſi in legibus excuſationi ebrietatis locus expreſſe denegetur; quo pertinet *Auguſtiſſimi Regis & Electoris noſtri edictum contra duella, in prooem.*

Digitized by Google

75. Neutrum autem horum ita valide impellit hominem, quo minus actui exteriori reſiſtere poſſit.

76. Vel quin ſaltem hic & nunc cohibendo actui par ſit, (a) utut propoſitum peccandi in futurum non plane exuat.

77. Niſi forte veneris œſtrum non poſſe reprimi affirmetur; At media ſuperſunt, quibus hujus eruptio citra peccatum depleri poteſt.

78. Et nimia hominis ambitio facile retunditur cognitione Creatoris & ſui ipſius. Demüthiget euch unter die gewaltige Hand GOttes / daß er euch erhöhe zu ſeiner Zeit. Unde elucet impotentia noſtra & ignorantia (b) *add. Jobi. XXII. 29.* Denen / die ſich demüthigen / die erhöhet Er.

79. Diſpoſitio removetur mutato & parco cultu corporis, quantum ad ſomnum & victum (c) ſuſceptisque decoris laboribus. Otioſa quies & ſolitudo nunquam favent honeſtati.

80. Conſuetudo lente exuenda, cum omnis mutatio ſubitanea vel noxia ſit, vel inſtabilis, quod vulgo illuſtrant ſimili ab arbore curva deſumto.

81. Affectus compeſcuntur, ſi nunquam ad actum procedamus, priusquam deliberavimus.

82. Af-

(a) Hoc fallere videtur in actibus momentaneis ex aſſuetudine ita familiaribus, ut etiam ab ignorante committantur. v. g. Wenn einem ein Fluch entfähret, cujus remedium celebris Anglus *Southom* ſuadet mulctam voluntariam ad pias cauſas impendendam, licet quis ex imprudentia peccaverit.

(b) Differendum hic de cautela Politica *Mazarini*: eum qui magna molitur, preces ad Deum fundere non debere, quia timorem & puſillanimitatem producant.

(c) Ita memini, Præceptorem meum optimum, illuſtrem Thomaſium multis ſtudioſis emendationem propriam ſerio deſiderantibus hanc inculcaſſe regulam: Wir ſolten den Mund mehr zu, und die Augen mehr auffthun, i. e. ſtomachum nimio victu, caputque nimio ſomno obruendum non eſſe.

Digitized by Google

82. Juvant meditationes: Naturam paucis eſſe contentam, nos eſſe creaturas finitas, Deum ſupereſſe injuriarum vindicem. Adde *Molin*, Seelen-Friede / *Lib. III.*

83. Et hæc quidem ſunt impedimenta, in homine latentia, quæ voluntatem turbant.

84. Extrinſecus ſupervenit nonnunquam metus ſeu neceſſitas, (*a*) minus malum incumbente graviori eligendi, a quo extra neceſſitatem conſtitutus abhorruiſſet.

85. De imputatione ex metu vel neceſſitate dicetur inferius.

86. Potiſſimum vero voluntatem inclinare debet obligatio.

87. Quæ eſt neceſſitas faciendi ſecundum legem, orta ex amore & metu. vid. *Puſend. de off. hom. & civ. cap. II. §. 3.*

(*a*) Quæ eſt impoſſibilitas grave malum declinandi, vel bonum, quo maxime indigemus conſequendi, excepto unico medio.



Digitized by Google

# CAP. V.

## DE
## LEGE IN GENERE.

I.

DEUM intendere conſervationem generis humani, ſupra probavimus.

2. Hæc vero obtineri non poteſt, ſi omnia agere liceret, quibus patrandis vires hominis naturales ſufficiunt.

3. Nam cupiditas eminendi omnibus adhærens, ſtimulos nunquam non addit alios vel lædendi, vel ſaltem non adjuvandi.

4. Læſionem vero nemo pateretur, cum quilibet ſentiat, ſe æque hominem eſſe, ac alios.

5. Et ita ſtatus naturalis Hobbeſianus, bellum omnium in omnes, oriretur.

6. Quo diſſolvetur ſocietas humana, ſine qua homo eſſe non poteſt.

7. Abſque ea enim vel homo periret quoad corpus, vel non viveret tanquam homo, ſecundum rationem.

8. Nam extra ſocietatem ne ratio quidem ſe exerit, quia non cogitamus, niſi per verba: Hæc ab aliis diſcimus.

9. Et infantibus non modo, ſed etiam adultis ſæpiſſime pereundum foret, niſi ab aliis hominibus adjuvarentur.

10. Neceſſe igitur erat temperari actiones hominum, ne aliis noceant, ſed ut eos potius adjuvent.

11. Hoc fit ab imperante, cujus voluntas vel præcipit aliquid vel permittit.

12. Prior ſpecies vocatur lex, eſtque juſſus imperantis obligans ſubditos.



13. Eſt

Digitized by Google

13. Eſt *Juſſus*: adeoque differt (1.) a *conſilio*, quo aliquis explicat, quid ipſe in ejusmodi caſu eſſet facturus. (*a*)

14. Et a *pacto*, quod eſt conſenſus plurium, & nonnunquam lex vocatur, (*b*) argumento capitulationum & legum fundamentalium in imperio Rom. Germ. aliisque regnis.

15. Nullum vero pactum obligat, niſi præſuppoſita lege.

16. (2.) Ab *autoritate*, quæ eſt voluntas ejus, qui beneficio ſuperior eſt, obligans imperfecte ex lege gratitudinis. Vel alliciens ſpe emolumenti futuri.

17. Imperans eſt, cui jus eſt actiones aliorum dirigendi ad certum finem. vid. *Puſend. de offic. hom. & civ. cap. II. §. 5.*

18. Fundamentum juris iſtius non eſt dexteritas alteri melius proſpiciendi, quam ipſe poteſt.

19. Hanc enim inter homines nemo alteri concedit, ſed quilibet fere ſibi prudentiſſimus videtur. Licet alteri majorem ſcientiam vel experientiam concedat.

20. Adeoque de prudentia regendi alios perpetua foret inter homines contentio.

21. Et aptitudo quidem imperandi exinde deduci poſſet, non vero jus firmum & perfectum.

22. Neque ſola actualis imperii vindicatio jus imperandi transfert.

23. Nam nulla violentia jus producit, quamdiu alter non conſentit.



(*a*) Hypothetice nimirum, ſi ipſe vice ejus qui conſilium petit, foret, i. e. non modo ſi cuperet id, de quo conſulitur, ſed & ſi conſulenti ratione affectuum, bonorum fortunæ, dexteritatis, vivendi generis &c. ſimilis eſſet. Abſolute enim exponere quid ego pro mea conditione in ejusmodi caſu facturus eſſem, ſi conſulens diverſæ ſit conditionis imprudentiſſimum foret.

(*b*) Nempe ratione effectus, quod non minus inde prodeat obligatio, quam immediate ex lege.

24. Genuinum vero Imperii criterium duplex eſt: Beneficium vitæ conceſſæ & conſenſus ſubditorum.

25. Vitæ *conceſſæ*, inquam; nullum enim aliud beneficium, ne quidem vitæ *ſervatæ* per ſe imperium producit.

26. Hinc eſt imperium Dei in homines, & parentum in liberos ſuos.

27. *Illud* eſt abſolutiſſimum, cum homo quoad eſſentiam Deo ſit inæqualis, atque ab eo ex liberrimo arbitrio ſit productus, & perpetuò conſervetur.

28. Unde frequens in ſacris ejus comparatio cum figulo & olla. vid. *Rom. IX. 20. ſeq. Job. XL, 3. ſq. XXXVI, 22. & paſſim. Jeſ. XXIX. 16.*

29. Eſt quoque perpetuum, quia inæqualitas perfectionis eſt perpetua.

30. At *hoc* limitatum eſt, quia non ſolus pater ex libero arbitrio filium producit, & inſuper hic cum illo æqualis eſt eſſentiæ.

31. Et temporarium: qvia filius æqualem cum patre perfectionem obtinere poteſt.

32. Conſenſus transfert Imperium, ſive ſpontaneus ſit, ſive neceſſitate aliqva elicitus.

33. Forma legis eſt obligatio ſeu reſtrictio libertatis noſtræ orta ex amore & metu, & quidem utroque conjunctim.

34. Unde merito vapulat *Hobbes*, Imperium Dei ex ſola potentia derivans. *De cive cap. XV. §. 5. p. 259. & in Leviath. cap. XXXI. p. 167.* vid. *Pufend. de I. N. & G. lib. I. c. VI. §. 10.*

35. Amor gignitur ex opinione potentiæ & voluntatis benefaciendi obedientibus.

36. Adeoque ex opinione, quod per ipſam legem intendatur commodum ſubditorum.

37. Me-

Unde dominium rei hoſtilis reſpectu hoſtis citra ejus conſenſum non acquiritur, neque hoſtis captus victori ante ſubjicitur, quam conſentiat.

37. Metus oritur ex perſuaſione, quod alter velit, & juſte poſſit malum inferre recalcitrantibus.

38. Etenim omnis legis duæ ſunt partes; Juſſus, ſeu determinatio, qvid agendum ſit: & ſanctio ſeu comminatio pœnæ. vid. *Pufend. de O. H. & C. cap. 2. §. 7.*

39. Prior pars exprimenda eſt: altera vero fluit ex neceſſaria conſequentia, & licet non expreſſa, ſubintelligitur. (*a*)

40. Expreſſe quoque legi primæ divinæ inerat. *Gen. II. 17.* welches Tages du davon iſſeſt, ꝛc.

41. Pœna tamen non ſemper infert malum ſeparatum, ſed nonnunquam actum tantum irritum reddit.

42. Scil. qvoties agentis intentio ex ipſa actione obtinetur, toties opus eſt pœna ſpeciali.

43. Utut enim homicidium vel adulterium pro nullo declaretur, delinquens tamen intentione ſua fruitur.

44. At ubi intentio agentis non dependet ab agente, ſed ab aſſiſtentia Principis, ibi ſufficit, ſi Princeps actui contra leges ſuſcepto confirmationem deneget, v. g. in venditione immobilium, donatione ultra 500. ſolidos, teſtamento ſolenni.

45. Ita qui teſtamentum condit, non intendit colloquium cum ſeptem perſonis: ſed ut diſpoſitio ſua poſt mortem ſuam obſervetur.

46. Si ergo præſcriptas omittat ſolennitates, ſatis pœnæ erit, teſtamento valorem ſubtrahere.

47. Qui enim ſuſcipit actum fruſtraneum, non malitioſe agit, ſeu ſtolide.

48. Obligatio vero requirit ſubditum, qui imperantem ha-



(*a*) Niſi lex declaret, transgreſſorem ſaltem improbe feciſſe videri; quales leges imperfectæ vocari ſueverunt. vid. *Pufend. de J. N. & G. L. I. c. VI. §. 14. pag. m. 104. Brummer. ad Leg. Cinciam cap. III. n. 2. -* 8. eodemque pertinet Lex Zaleuci, quam exhibui in *poſit. ad π. tit. de probat. pag. 411. lit. n.*

bet quique ad normam præſcriptam actiones ſuas poteſt accommodare.

49. Deus ergo non obligatur, quia non habet imperantem.

50. Reveremur enim benignitatem Numinis, quod gratiam ſuam infinitam & univerſalem iis modis, qui inter homines obligationem inferunt, nobis exponere voluerit.

51. Ut autem curioſe inquiramus, quomodo nobis obligetur, temeraria eſt protervitas.

52. Neque homo obligatur ſibi ipſi, quia non poteſt ſimul eſſe imperans & ſubditus. vid. *Puſend. de J. N. & G. L. I. c. VI.* §. 7.

53. Nec beſtiæ obligantur, quia nec legem, nec actiones ſuas cognoſcunt, neque adeo gaudent libertate agendi. Falſò itaque jus nat. dicitur, quod natura omnia animalia docuit. Nec obſtat actio de pauperie.

54. Nec obſtat, quod beſtiæ puniantur, pœna vero ſine obligatione eſſe non poſſit.

55. Nam animal execrandam venerem paſſum conerematur (*a*) ad abolendam neſandi criminis memoriam. *Levit. XX.* 15.

56. Bos cornupeta occidebatur, ut negligentia domini puniretur. *Exod. XXI, 28. ſqq.* vid. *Puſend. de J. N. & G. L. II. c. III.* §. 3.

57. Reliqua, quæ de canibus Romæ ſuſpenſis, de jure brutis apud Athenienſes dici ſolito, de patrocinio judiciali muribus a Chaſſanæo præſtito &c. circumferuntur, nugæ ſunt. (*b*)

58. Scil.

(*a*) Animal montem Sinai tangens lapidibus obruebatur, vel ſagittis transfigebatur. *Ebr. VII, 20.*

(*b*) C. Caligula equum ad hilaria ſua invitabat, avenam in patinis aureis, vinum in aureis poculis ipſi porrigebat, eundemque equum conſulem creaturus fuerat, niſi mors propoſitum inhibuiſſet. Quin & rebus inanimatis dies dici ſuevit, quo comparerent in judicio, niſi exorciſmo mediante in exilium agi velint. Quale fatum expertus eſt ignis, quo Ætna mons mundi incendio, anno. CIↃ. IↃ. C LXIX. præluſit. vid. *Becmann. hiſtor. noſtri temporis ad annum jam dictum.*

58. Scil. ut inducatur obligatio, requiritur cognitio legiſlatoris & legis.

59. Nemo enim ad legem actiones ſuas ante accommodare poterit, quam eam intelligat.

60. Unde petenda deciſio quæſtionis, an lex extendi poſſit ad actus ante promulgationem commiſſos.

61. Quod eo caſu affirmamus, ſi actus ejusmodi a ſubditis ſine notabili incommodo poſſint mutari.

62. At pœna nunquam extendi poteſt ad actus præteritos, niſi iſti jam antea fuerint lege naturali prohibiti. Huc ſpectat *l. ult. C. de pact. pign.* Conſt. Elect. Saxon. noviſſ. von anvertrauten Guthe/ quam exhibet *Magnif. D. Berger. in Elect. Jurispr. Crimin. Cap. 3. Membr. I. N.* 8.

63. Finem legis vulgo faciunt utilitatem ſubditorum, quod tamen indiſtincte procedit.

64. In multis enim legibus divinis nullam noſtram utilitatem perſpicimus.

65. Scil. cui imperium competit propter beneficium vitæ conceſſæ obedientiam ſubditorum explorare poteſt legibus, ex quibus iſti nullam utilitatem perſpiciunt. (*a*)

66. At, qui imperium habet ex conſenſu ſubditorum, illi ſemper ad eorum utilitatem reſpiciendum eſt.

67. Objectum legis ſunt actiones hominum arbitrio ſubjectæ, de qvibus ſupra.

68. Effectus eſt obligatio ad parendum, vel, niſi pareatur, ad pœnam.

69. Quæ tamen non ſemper pro delicti quantitate exigitur, ſed vel omnino ceſſat, vel mitigatur, idque ob varias rationes.

70. 1) Ob delinquentium multitudinem (*b*) ita in Polonia furto, crimini ibi frequentiſſimo, non niſi infamiæ pœna infligi-

(*a*) Huc pertinet: Wenn mich der HErr auch tödten würde, ſo will ich dennoch auf ihn hoffen. *Job. XIII. 15. add. Rom. IIX. 35-39.*

(*b*) Quo faciunt juramenta extemporanea in rebus levioribus.

fligitur & fornicatio in Italia urbibusque Germaniæ Hanſeaticis impunis eſt. add. *Tacit. L. 3. Annal. c.52. ſeq.*

71. 2) Ob difficilem delicti determinationem; ita leges contra ebrietatem regulariter fruſtraneæ ſunt, neque veras hujus rei cauſas aſſequi videtur *B. Brunnemann. in Proceſſ. c. 5. n. 8.*

72. 3) Qvod indulgentiam mereantur affectus ab alio injuſte concitati, & eo usque erumpentes, ut iis reſiſtere impoſſibile ſit. Quo refero retorſionem injuriarum, (*a*) item quod maritus impune occidat adulterum in uxore deprehenſum, (*b*) *l. 3. §. 3. ad SCt. Silan.*

73. 4) Quod delictorum pauciſſimis cognitorum publicatio plus detrimenti quam commodi afferat. Quemadmodum enim multi non adeo virtutis amore, quam ex vitiorum ignorantia a peccatis ſe abſtinent: ita ſi cui delicto ipſis hucusque ignoto pœna præfiniatur aut publice infligatur, reliqui non tam absterrentur, quam petulanti curioſitate ad idem patrandum incitantur. *Grot. d. I. B. & P. L. II. c. XX. §. 22. n. 1. Pufend. de I. N. & G. L. IIX. c. 3. §. 16. p. m. 1126.*

74. Unde ſecundum Busbequium *Epiſt.* 3. Muhamedani in occulta flagitia non valde inquirunt, (*c*) ne locum aperiant calumniæ; manifeſta & comperta graviter puniunt.

75. 5. Quæ

(*a*) Non omnem, ſed quæ id ipſum crimen rejicit, quando enim injuriatus ſaltem teſtatur, id de ſe ſalva veritate & honeſtate dici non poſſe, id quidem vulgo etiam vocatur retorſio, ſed absque animi rancore recte & vere dicitur.

(*b*) Plus enim ſibi arrogat maritus, quam Magiſtratus: hic non niſi conſummato crimine adulterum punit capitaliter. Ille vix inchoato, neque dici poteſt, maritum id facere defenſionis cauſa; quis enim adulter adeo impudens erit, ut a cœpto opere, ſuperveniente marito, non reſiliat?

(*c*) Commodus heic dicendi locus foret de proceſſu Inquiſitionis, qualis in foris Germaniæ invaluit, & in *Conſtit. Crimin. Carolina* ſtabilitus eſt, niſi otium meditandi nobis feciſſet *Illuſtr. Thomaſius in diſp. de origine proceſſus inquiſitorii.* ad. *Conſtit. Elect. Saxon. ined.* 5.

Digitized by Google

75. (5.) Quæ vitia magis vocari debent, qvam delicta, puniri non poſſunt, v. g. invidia, immiſericordia, hypocriſis, ſuperbia, moroſitas & miſanthropia, &c.

76. Neque obſtat, obligationem quod ſupra fecerimus formam legis: nam in moralibus forma & effectus ſæpius coincidunt, cum ea non niſi a poſteriori cognoſcamus. (a) Quod idem de rebus ſpiritualibus affirmandum videtur. *Rom. XI.* 33. *Exod. XXXIII,* 20. *Breneyſ. de jure Princip. circa controv. Theol. P. I. §.* 76.

77. Hæc obligatio in actum deducta vocatur *obſequium*, quod eſt propoſitum explendi voluntatem alterius. (b)

78. Hoc in legibus humanis debet eſſe ſimplex, i. e. non credendum in dubio leges eſſe juſtas, *II. Feud.* 28.

79. At non cœcum; i. e. non obſervandæ leges, quas præcepto divino contrarias eſſe liquido conſtat.

80. Nam omne imperium humanum ſubordinatum eſt imperio divino. conf. *Act. IV.* 19.

81. Legem naturalem mutari non poſſe, patebit ex infra dicendis.

82. Leges poſitivæ vero mutari poſſunt ab eo, a quo vim accipiunt, ſeu qui eas tulit.

83. Princeps enim hiſce non obligatur, niſi per pactum ad eas obſervandas ſe aſtrinxerit, tunc obligatur imperfecte: & *l.* 4. *C. de LL.* continet ſophiſma politicum. vid. *Sveton. in Tiberio.* confidentius itaque Imperatores ſubſequentes loquuntur, *l.* 31. *D. de legib. §.* 8. *inſt. quib. mod. teſtam. infirm.*

I 84. Mu-

(a) Nihil enim eſt in intellectu, quod non fuerit in ſenſu, unde v. g. dominium ſaltem ab effectibus alios excludendi, re utendi, eam perdendi, alienandi &c. cognoſcitur. Unde ſpiritus definitur potentia &c.

(b) Non ſaltem coactio externa vel defectus virium reluctandi. Ita virtus non eſt abſtinentia a vitio, cui committendo impares ſumus v. g. caſtitas in ſilicernio effecto.

Digitized by Google

84. Mutantur vero vel quoad certa ſubjecta tantum, aut reſpectu certi temporis. Et hoc vocatur *diſpenſare.*

85. Vel univerſaliter, i.e. reſpectu omnium ſubjectorum, & in perpetuum; idque iterum vel reſpectu omnium partium legis, quod vocant abrogare, vel reſpectu certarum partium, quod vocant derogare.

86. Diſpenſatio ergo eſt ſuſpenſio obligationis ad certum tempus, vel Exemtio certæ perſonæ, aut certi actus a lege alias obligante.

87. Cum autem ex promiſcua abrogatione contemtus legum & legislatoris oriatur, qvaſi ille non ſatis, quid ex uſu reipublicæ ſit, proſpicere poſſit; & promiſcua diſpenſatione ſubditorum indignatio propter neglectam inter eos æqualitatem excitetur, utraque mutatio maxime eſt conſtringenda.

88. Hincqve ſæpius excogitatæ fuerunt fictiones, ut plebi glaucoma objiceretur, quaſi ille, qui a lege eximebatur, eidem ſatisfeciſſet. Conf. *Puſend. de I. N. & Gent. L. I. c. VI.* §. 17.

89. Non ſatis commode vero *Becmannus in meditat. polit. diſſ. II. th.* 13. *& diſſ. XIII. th.* 8. item Grotius L. II. c. *XX.* §. 26. diſpenſationis ſynonymum faciunt æqvitatem.

90. Hæc enim eſt extenſio vel reſtrictio verborum legis ex probabili mente legislatoris, adeoque non mutatio, ſed explicatio.

91. Eademque fieri poteſt a Jurisperitis. At diſpenſatio non niſi ab ipſo legislatore.

# CAP. VI.
## DE
## JURE PRO CONCESSIONE VEL POTENTIA MORALI SUMTO.

I.

DIximus *cap. præced.* quod imperantis voluntas vel juſſum contineat, vel conceſſionem, de qua nunc.

2. Qvan-

Digitized by Google

2. Quantum vero ad actiones, quæ homines inter ſe reſpiciunt, alterutrum absque altero eſſe non poteſt.

3. Quoties enim per legem injungitur obligatio erga alios homines, his ſimul conceditur poteſtas ejus præſtationem recipiendi.

4. Et quoties certis perſonis aliquid conceditur, obligantur reliqui, ne hos in uſu juris ſui turbent.

5. Imo quoties omnibus aliquid conceditur, obligatio ſubeſt, ne alter alterum excludat.

6. Jus ergo eſt poteſtas aliquid juſte agendi vel habendi.

7. Idque deſcendit non ex natura: Non enim recte ago propterea, quia vires naturales ſuppetunt. (a)

8. Sed propterea, quia cognoſco, imperantem id mihi conceſſiſſe.

9. Fundamentum Juris eſt utilitas, quæ cum pro diverſitate ſocietatum variet; jus quoque mutabile eſt.

10. Ita leges naturales ſunt immutabiles, in quacunque demum ſocietate homines vivant.

11. At facultas naturalis ſæpiſſime per Principem mutatur (b) in ſtatu civili.

12. Nihil enim plane relictum eſſet principi, de quo leges ferre poſſet, niſi facultatem naturalem mutare ipſi liceret.

 13. Nam

(a) Recte tamen illuſtris Coccejus affirmat, homines potentiis agendi a Natura inſtructos licite agere, vel omittere, quicquid poſſunt, donec aliquis qui prohibere recte poteſt, prohibeat aliquid agi vel omitti. Unde toties in libellis Interpretum juris Civilis ingeminatur: nuptias inire, tutelam ſuſcipere, teſtamentum condere, contrahere & paciſci poſſe omnes, niſi impediantur (i. e. quibus deeſt potentia phyſica) vel prohibeantur, (i. e. quibus ſubtracta eſt facultas moralis.)

(b) i. e. vel præcipitur aut prohibetur, quod antea permiſſum erat & arbitrarium, vel jus imperfectum ad ſpecies juris perfecti transfertur, vel juri perfecto remedia coactiva aut omnia, (v. g. ſi fœmina fidejuſſerit aut pupillus promiſerit) aut quædam (v. g. in pactis nudis ſub-

Digitized by Google

13. Nam negotia lege naturali definita extra principis arbitrium ſunt; ipſe ergo ea determinat, quæ naturaliter ſunt indifferentia.

14. Subjectum hujus juris iterum eſt ſolus homo; Non Deus, quia non habet imperantem.

15. Nec bruta, quia omni fundamento moralitatis deſtituuntur.

16. Neque obſtat, (*a*) quod homo juſtus etiam pecudis ſuæ miſereri dicatur, & bovi trituranti os obturandum non ſit. *I. Cor. IX. 9.*

17. Reſp. non peccatur contra beſtias, ſed contra Creatorem, cujus contemtus abuſu beſtiarum proditur. add. *Schilt. Philoſ. Jur. c. IIX.* §. 12.

18. Et peccatur in alios homines, abutendo rebus, quæ ipſis utiles eſſe poterant. conf. §. *ult. Inſt. de his, qui ſui &c.*

19. Cohibendus denique pruritus nocendi, ne hic erga alios homines demum ſe exſerat. (*b*)

20. Diviſio Juris potiſſima eſt in perfectum & imperfectum.

21. Jus perfectum eſt, cujus praeſtationem ab invito extorquere poſſum.

22. Jus imperfectum, quod peti poteſt, ſed non extorqveri.

23. Hujus diviſionis fundamentum non in eo, qvi præſtat, ſed in eo, qui petit, quærendum eſt. 24. Scil.

trahuntur. vid. noſtras Poſitiones *ad Pand. de juſt. & jur. p. 4. ſeq.* ubi omiſimus actionem cupiditatis ſeu *avaritiæ*, quæ in eum dabatur, qui ad generandum inidoneus bonorum gratia uxorem duxerat. vid. *Prateji Jurispr. vetus, ad Legem Solonis XXII.* & de actione otii Petr. Gregor. Tholoſ. *in Syntagm. Juris, Lib. XXXIX. cap. 6.* Rittershuſ. *ad Novell. Part. XII. cap. 15.* ab eoque allegati.

(*a*) Nec obſtat, quod in Sabbatho bos et aſinus quiete frui debeant.

(*b*) Huc pertinet exemplum Juvenis alicujus apud Lacedæmonios, qui captas aves confixis oculis iterum dimittebat, eandemque ob cauſam in magna Britannia tribus Lanionum non admittitur ad judicium juratorum, in quo de cauſis ſanguinis agitur.

Digitized by Google

24. Scil. qvi obligatur, v. g. ad eleemoſynas, vel eas commode erogare poteſt: hic perfecte obligatur in conſcientia.

25. Vel niſi ipſi, quod eroget, ſupereſt, hinc plane non obligatur.

26. Quia vero petenti non conſtat, an alter ſine notabili incommodo proprio id, quod petitur, præſtare poſſit, inde illi neutro caſu cogendi facultas ſuppetit.

27. Omni enim rationi adverſum foret, ſpoliare aliquem velle mediis, quibus ipſe carere non poteſt.

28. Eoque ipſo turbaretur æqualitas, ſine qua ſocietas humana conſiſtere nequit.

29. Quod ſi enim alii jus competeret aliquid a me extorquendi, idem & mihi competeret adverſus alios.

30. Ita vero nullus certum ſibi vivendi genus proponere poſſet, ſi de mediorum retentione nunquam eſſet ſecurus.

31. Et nemo aptum ſocietatis membrum evaderet ademtis quotidie facultatibus idoneum ſe reddendi.

32. Quin ergo neceſſe eſt, ut mihi contra invadentes competat violentia etiam extrema, pro rebus meis defendendis vel ereptis recuperandis.

33. Indeque ſponte fluunt duæ regulæ: Jus arcendi læſionem & reparandi damnum mihi illatum, eſt Jus perfectum.

34. Hoc enim æqualitas, fundamentum ſocietatis, conſervatur.

35. Jus vero ad officia affirmativa ſeu indigentiam meam quovis modo ſublevandam, eſt Jus imperfectum.

36. Ut enim ad benefaciendum mihi aliquis obligetur, requiritur, ut ab ipſo commode fieri poſſit.

37. De hoc vero requiſito mihi conſtare non poteſt.

38. At inquis, probandum eſt alteri, ſe præſtando beneficio non eſſe idoneum.

39. Sed ita vel centum probationes per ſingulos dies eſſent ſuſcipiendæ.



Digitized by Google

40. Eæque non aliter peragi poſſent, niſi & opes & intentionem meam cuivis revelarem.

41. Hoc vero non admittit malitia generis humani, propoſita aliorum pro viribus intervertentis.

42. Neque magis intereſt habere finem ſibi propoſitum & media eundem obtinendi, quam eadem habere abſcondita.

43. Mutatur vero jus imperfectum in perfectum (1.) mediante promiſſione.

44. Hac enim vel declaro, incommodum meum circa præſtationem non ſubeſſe.

45. Vel incommodo meo, ſi quod ſubeſt, renuncio.

46. (2.) Ingruente extrema neceſſitate, de qua *Puſend. de O. H. & C. L. I. c. VI.* §. 23. & nos prolixius infra.

47. Accedit in ſtatu civili (3.) voluntas principis. Huic enim ſubditi & vitam & bona ſua ad utilitatem communem diſpenſanda ſubjecerunt.

48. Ita coguntur cives ad ſuſcipiendam tutelam & alia munera; ad venditionem rerum ſuarum, &c. adde, quæ diximus ſupr. *ad poſit. 11. h. cap. lit. b.*

49. Procedunt regulæ hactenus datæ quoad eos, qui ſibi ſunt æquales.

50. In ſocietate vero inæquali Jus ſumni imperantis in ſubditos, undecunque oriatur, ſemper eſt perfectum.

51. Et omne jus ſubditi erga ſupremum imperantem, ſi homo ſit, eſt imperfectum, ſi Deus, plane nullum.

52. Medium perſequendi Jus perfectum in ſtatu naturali (i.e. eorum, qui non habent imperantem) eſt bellum, de quo infra.

53. In ſtatu vero civili ſeu eorum, qui imperio humano ſubſunt, omnis privata juris perſecutio ceſſat. (*a*)

54. Hic

(*a*) Niſi quod eum, qui ex poſſeſſione me dejicit, in continenti iterum dejicere poſſim, quia magis me defendiſſe, quam poſſeſſionem recuperaſſe videor.

Digitized by Google

54. Hic enim finis eſt ſocietatis civilis, ut ſubditi a principe ſuo defendi velint.

55. Modo tamen imperans adiri & per eum ſatisfactio obtineri poſſit.

56. Unde etiam civibus pro defenſione bonorum irreparabilium, v. g. vitæ, ſanitatis, pudicitiæ, in periculo præſenti quævis remedia ſuperſunt.

57. At bona reliqua cum internecione alterius a cive defendi non poſſunt, quamdiu ſpes ſupereſt, ea per judicem poſſe reparari.

58. Hæc vero ſpes ubi deficit, omnia contra invadentem tentare licet.

59. Ita recte occiditur fur nocturnus; (a) quo referunt *Exod. XXII. 2. 3.*

60. Ita debitorem aufugientem privata autoritate detinere, &, ubi rem meam vel æquivalens, quod aliunde ab ipſo conſequi nequeo, penes ſe habet, ad extremum perſequi poſſum.

61. Quamdiu enim ſatisfactio ſperari a judice non poteſt, tamdiu ſupereſſe cenſetur ſtatus naturalis.

62. Jus perfectum vel perſonas reſpicit, earumque actiones, hoc vocatur imperium, de quo ſupra.

63. Vel res, quod vocatur dominium, de quo infra.

64. Hic ſaltem notanda differentia dominii vulgaris & eminentis.

65. Vulgare competit ſubditis in bonis ſuis, ad eorum utilitatem privatam.

66. Eminens competit principi in bonis ſubditorum ad utilitatem publicam.

67. Et vulgare cedit eminenti, quia ſubditi utilitatem privatam ſubordinarunt utilitati publicæ.

68. Car-

(a) vid. quæ dixi *ad ff. d. furt. p. 600.*

68. Cavendum tamen, ut, quantum fieri poteſt, dominia privatorum per principem non intervertantur.

69. Aut ſi id fieri neceſſe ſit, proſpiciendum, ut illi æquivalens recipiant.

70. Dominium eminens enim ſe non exſerit, niſi in caſu neceſſitatis vel evidentis utilitatis reipublicæ, quæ aliter obtineri non poteſt. (a)

71. Et his præſuppoſitis non eſt, quod negemus dominium eminens cum B. Lyſero *in diſſertatione pro imperio contra dominium eminens.*

72. Cujus rationibus ſatisfecerunt *Hornius de civitate, L. II. c. IV.* & *Becmannus in polit. parall. XXI.*

73. Et nihil intereſt, an dicam: Princeps ſubditos jure imperii cogit, ut bona ſua exhibeant, an: Princeps jure dominii bona ſubditis aufert.

74. Denique princeps malus perinde abutetur imperio, ac dominio eminente.

CAP.

(a) Unde patet, quid ſentiendum ſit de cenſura acerba *Jac. Ritterii in Lucubrat. feud. cap. 5. §. 5.* Ceterum quando dicunt, quæ nos Dominio eminenti attribuimus, tribuenda potius eſſe imperio. Lis eſt in terminis, neque refert, an Princeps dicatur ſubditos jure imperii cogere, ut bona exhibeant, an dicatur, Principem jure dominii eminentis bona ſubditis auferre. Deinde quando excipiunt, peccandi occaſionem Principi ſuppeditari, ſi ipſi perſuadeatur Dominium in bonis ſubditorum; regero: Principem malum æque jure imperii ac dominii abuti poſſe.

Digitized by Google

# CAP. VII.
# DE MORALITATE ET JUSTITIA.

I.

ACtiones arbitrio hominum ſubjectæ, quatenus conſiderantur intuitu voluntatis Imperantis, vocantur morales.

2. Moralitas itaque non ingreditur nudum motum phyſicum, niſi accedant circumſtantiæ in lege comprehenſæ.

3. Et niſi accedat proæreſis, ſeu intentio, vel ſaltem culpa agentis.

4. Ita v. g. concumbere, rem loco movere, vitam homini eripere, bibere &c. indifferentia ſunt.

5. Fiunt vero bona vel mala ex circumſtantiis, quæ ex lege determinantur.

6. Ita vitam eripere inſonti, concumbere cum ea, quæ non eſt uxor, immoderate bibere, rem alienam auferre, mala ſunt.

7. At nocentem occidere autoritate publica, concumbere cum propria uxore, bibere ad neceſſitatem, re ſua uti, bonum eſt.

8. Neque ergo aſſerimus, adulterium, furtum, &c. eſſe res indifferentes, ut vulgo calumniantur diſſentientes.

9. Iſta enim vocabula non nudum motum phyſicum, ſed cum circumſtantiis moralibus conjunctum denotant.

10. Et fingamus, venire aliquem in locum ignotum, ibique videre perſonam ignotam, aliquid auferentem, an huic conſtabit ex ſolo motu phyſico, utrum actio juſta ſit, an injuſta?

11. Atqui, inquis, non datur actio ex ſolo motu phyſico conſtans ſine accedentibus circumſtantiis moralibus.

12. Concedo facile; ſed id urgeo, nullam actionem natura ſua eſſe juſtam, vel injuſtam, niſi accedat voluntas imperantis.

13. Adeoque moralitas non eſt in ipſa eſſentia motus phyſici, neque ex principiis ſubſtantiæ internis provenit, ſed rebus phyſicis ſuperadditur vel imponitur.

14. Neque tamen negamus, dari juſtitiam naturalem.

15. Hæc enim ex lege naturæ, non ex natura provenit.

16. Neque negamus, dari qualitates morales homini concreatas.

17. Hæc enim in creatione hominis ſuperimponuntur, & tempore quidem ſimul ſunt, natura tamen poſteriores. (a)

18. Et huc faciunt, quæ eleganter diſſerit *Pufend. in Erid. Scand. pag.* 27. 227. 273. 345.

19. Scilicet actio moralis vel juſta eſt, vel injuſta.

20. Hæc eſt, quæ contrariatur voluntati imperantis, illa, quæ cum ea convenit.

21. Sicut autem vel præcipit Imperans, vel permittit; ita actio juſta eſt vel præcepta, vel permiſſa.

22. Illa communiter vocatur honeſta, hæc licita.

23. At cum actiones nonnullæ voluntati divinæ contrariæ ab hominibus non puniantur, hinc pſeudo-diviſio actionum licitarum enata eſt.

24. Dicunt enim, actionem vel interne, Ethice & plene licitam eſſe, quæ ſecurum reddit agentem a pœna divina & humana.

25. Vel externe, politice & minus plene licitam, quæ pœna humana tantum exemta eſt.

26. Verum hæc poſterior licita non eſt, neque ſpeciem juſti conſtituit, quia non convenit cum voluntate Imperantis.

27. Melius vocari poſſet impunis, quia ab hominibus non punitur, idque ob rationes ſupra *cap. V. poſit.* 70. *ſeqq.* expoſitas.

28. Ju-

(a) Quemadmodum correlatorum multa tempore ſimul exiſtunt, natura tamen alterum altero prius eſt, v. g. pater & filius.

Digitized by Google

28. Juſtitia vero vel de actionibus prædicatur, vel de hominibus.

29. Illa eſt convenientia actionis cum voluntate imperantis.

30. Hæc eſt intentio obtemperandi Imperanti orta potiſſimum ex ejus amore.

31. Adeoque ad juſtitiam perſonæ non ſufficit, ut edat actiones juſtas; ſed neceſſe eſt, ut eæ proficiſcantur ex amore imperantis & aliorum hominum, adeoque cum quadam delectatione.

32. Nam juſtus recte ageret, etiamſi delictis nulla pœna eſſet præſtituta.

33. Contra qui recte agit vel metu pœnæ, vel intuitu commodi proprii, juſtus non eſt, ſed inſons. (a)

34. Itaque injuſtitia actionis eſt diſſormitas actionis a voluntate imperantis.

35. Injuſtitia perſonæ eſt contemtus vel neglectus voluntatis Imperantis, niſi qua metus pœnæ ejus obſervationem inculcat.

36. Iam vides, actiones juſtas venire poſſe a perſona injuſta, propter metum pœnæ.

37. Et actiones injuſtas admitti poſſe ab homine juſto, ex infirmitate.

38. Neque hic propter unam aut alteram actionem illicitam deſinit eſſe juſtus, ſed ſontis nomine venit.

39. Indicium autem, an ex infirmitate peccaverit, eſt, ſi facta injuſta, licet ita patrata, ut metuendum non ſit, ne in notitiam Imperantis perveniant, ſerio damnet, & damna data pro viribus reſarciat. conf. Puſend. *de J. N. & G. lib. I. cap. VII.* §. 6. Ejusd. *Elem. Juriſpr. Univerſ. lib. I. def.* 17. §. 1. *Hobbes. de Cive, cap. III.* §. 5. *& Leviath. cap. XV. pag. m.* 74.



(a) Huc pertinet promiſſum divinum: finde ich 10. Gerechte drinnen. *c.

40. Interim in foro humano ſufficit, ſi actiones civium juſtæ ſint, qualiscunqve ſit eorum intentio.

41. Et juſtiſſimus, ſi ſemel deliqverit, ordinarie punitur.

42. Cumque ergo juſtitia actionis in jure Ciuili tractetur, ejus loco inepte definitur juſtitia perſonæ, *pr. de I. de J. & J.*

43. Cæterum diviſiones juſtitiæ communes in univerſalem & particularem, atque hujus iterum in commutativam & diſtributivam, tamdiu inanes eſſe putamus, (a) donec uſus earum demonſtretur, dixi *ad ff. de Juſt. & Jure.*

44. Et quidem donec demonſtretur talis uſus, qui non æque commode ex diviſione juris, in perfectum atqve imperfectum, deduci poſſit.

a) *Add. Ziegleri Diſpp. Volum. I. Them. XLIIX. §. 18. 19. 20. 21. ſqq.*

CAP.

# CAP. VIII.

## DE DIVISIONIBUS LEGIS DIVINÆ.

I.

LEx eſt juſſus imperantis. Imperans vero vel DEUS eſt, vel homines.

2. DEO originarie competit imperium, vel quia eſt autor hominis.

3. Cognoſcuntur vero juſſa Dei vel ex ratione, vel ex revelatione.

4. Illa vocantur leges naturæ; hæc leges poſitivæ.

5. Has cognoſcimus ex codice ſacro, cujus veritas ante omnia eſt adſtruenda.

6. At eam a proprio non poſſe probari, tralatitium eſt.

7. Quam quidem ſententiam jam non impugno, id tamen moneo, non heic reqviri demonſtrationem apodicticam; ſed ſufficere fidem hiſtoricam, qvam neganti probatio incumbit. (a)

8. Hanc nobis facit (1) convenientia hiſtoriæ profanæ cum ſacra, de qua *Grot. lib. I. §. 16. de Verit. Relig.* & exacte *Petr. Dan. Huet. in Alnetan. quæſt. de concord. rationis & fidei Libr. II. per tot.* Item *Phil. Mornæus de veritat. Relig. Chriſt. cap. XXVI.*

9. Item prædictiones, quæ non niſi Deo notæ eſſe potuerunt.

10. (2) Mirabilis conſervatio gentis Judaicæ. *Grot. d. l. §. 14.*

11. (3) Conſervatio ipſius codicis ſacri.

12. (4) Ceſſans intereſſe ſcriptorum, eorumque ſimplicitas, candor, fervor & valor.



(a) Cur enim Livio, Tacito, &c. credimus.

13. Quod iſta doctrina a vicinis, quibus maxime exoſa fuit, non potuerit refutari. Accedit

14. (6) Quantum ad novi fœderis libros, quod ipſi Judæi concedant tempus promiſſi Meſſiæ præteriiſſe,

15. (7) Quod Chriſtianorum doctrina violentæ defenſioni & imperii propagationi minime intenta, nullo modo potuerit extirpari.

16. Quem hæc non movent, ille (8) abſtineat ſaltem a delictis, quæ ex lege naturæ injuſta eſſe cognoſcit, ſeque indagationi rerum divinarum aptum reddat.

17. Evolvat poſtea ſcripturam ſacram, legatque ſaltem tanquam librum non inutilem, ubi procul dubio lumine interno convincetur, ne aſſenſum ulterius denegare poſſit. (a)

18. At ita, inquis, gignetur fides ex præjudicio, faciliima erroris occaſione.

19. Ponam vero, quod non concedo, poſſe ſubeſſe errorem, an hic credenti æque nocebit, ac veritatem, quæ ſubeſt, rejicienti? (b)

20. Poſita ergo veritate ſcripturæ ſacræ deprehendimus ibi leges æque firmiter obligantes, ac leges naturales.

21. Hæ vel omnibus hominibus datæ ſunt, vel ſoli populo Judaico. Tertium non datur. *Pſ. CXLVII, 19. & 20. Deut. IV, 7. & 8.*

22. Nulli enim genti leges ſpeciales revelavit Numen, niſi Judaicæ. (c)

23. Et ita firmiter concludimus: Quæcunque lex non ſolos Judæos obligat, ea obligat omnes homines. 24. Ne-

(a) Fefellit hoc in *Angelo Politiano*, qui nullum tempus pejus ſe collocaſſe dicebat, quam quod Bibliorum lectioni impenderit. Forte editionem vulgatam Latinam legerat, & is omnia ſtyli cauſa legerat.

(b) Hoc non vendito pro argumento probante, ſed pro reſponſione ad objectionem. Alias id ipſum hypocritas faceret.

(c) Equidem Nebucadnezar ſervus Dei dicitur, cujus imperio etiam feras beſtias Deus ſubjecerit. *Jerem. XXVII, 6. ſeqq.*

Digitized by Google

24. Neque tamen omnis ejusmodi lex obligat in perpetuum; Nam leges de ſacrificiis, licet ante fœdus cum Abrahamo datæ, non amplius obligant, quia typum Salvatoris exhibebant.

25. Inde enata diviſio legis divinæ poſitivæ in univerſalem & particularem.

26. Hanc diviſionem propugnant Grotius *de J. B. & P. L. I. c. I. §. 15. ſeqq. Scherzer. Ziegler. Kulpis, Exercit. 4. theſ. 6. ad Grot. L. 2. c. 5.* & *Henniges*, eamque agnoſcunt hodie plurimi. add. *Diſput. noſtr. de diſpenſat. circa matrimon.* §. 43. 44.

27. Particularis tales ſunt, vel quoad promulgationem tantum, ut leges ceremoniales.

28. Hæ enim omnes gentes ſub periculo ſalutis æternæ obligabant, forte tamen non in omnibus circumſtantiis *II. Reg. V.* 17. *ſeqq.*

29. Nec obſtat, quod iis non fuerint promulgatæ. Reſp. non poterant promulgari, cum gentes a vero Deo jam ſeceſſionem feciſſent.

30. Vel quoad promulgationem & obligationem ſimul, ut leges forenſes; Hæ enim reſpiciebant conſervationem Reipublicæ Judaicæ.

31. Verum utraque lex particularis ſublata eſt.

32. Et ceremonialis quidem in momento mortis Chriſti.

33. Non in momento nativitatis, ut patet ex *Matth. VIII.* 4. *XXVI.* 17.-29. *XXVII,* 51. *Luc. II,* 21. *ſeqq. Joh. XIX.* 39. *Hebr. IX.* 12. 15. *ſeqq. & alibi paſſim.*

34. Forenſis vero evanuit diſſoluta Republica Iſraëlitica. Uſus ejus hodiernos effingit *Grotius L. I. c. I. §.* 17. *n.* 2. 3. 4. ſed ſine cauſa, vid. *Thomas. Juriſpr. Div. L. I. c. II. §.* 129.-132.

35. Lex poſitiva univerſalis verſatur circa actus ad conſervationem hominum non omnino neceſſarios, neque adeo ex ratione cognoſci poteſt.

36. Ad dignoſcendum vero, quænam lex univerſalis ſit, quænam particularis, præſuppono, quæ ſupra dixi *poſ.* 21. *ſq.*

37. Inde

37. Inde tria efformo criteria. Scilicet quæ leges (1.) ante fœdus cum Abrahamo latæ; (2.) in novo teſtamento repetitæ; (3.) quarum pœna gentiles quoque tetigit, illæ ſunt univerſales.

38. Nam (1.) per fœdus cum Abrahamo conſtituebatur demum gens Judaica & ab aliis ſecernebatur.

39. (2.) Chriſtus venerat in ſalutem omnium gentium, & Apoſtoli emittebantur in orbem univerſum. (a)

40. (3.) Puniri non poterant gentes, niſi feciſſent contra legem.

41. Paulo aliter *Grotius lib. I. cap. I. §. 15.* procedit triplicem legislationem commemorans: Poſt hominem conditum; poſt diluvium; & poſt adventum Chriſti.

42. Ubi errorem de Chriſto legislatore (circa vitam nimirum. Nam articulos religionis Chriſtum mutaſſe, negare non poſſumus) excuſſit *Ziegl. & Oſiand. in Not. ibidem.* add. *Puſendorff. de habitu relig. Chriſt. ad vit. civ.*

43. Adamo ſex præcepta data fuiſſe, memorat Grot. *Lib. II. cap. V. §. 13. n. 5.*

44. Hisque ſeptimum de non edendo ſanguine ſuperadditum fuiſſe poſt diluvium, unde ſeptem præcepta Noachidarum, de quibus *Seldenus in tr. de Jur. Nat. & Gent. juxta diſciplinam Hebræorum.*

45. Nos neque huic traditioni inhæremus, nec omnia illa pro poſitivis habemus.

46. Interim ſuſpicamur, præcepta nonnulla Adamo vel Noacho data fuiſſe, quorum mentio in Geneſi non fit. add. *diſputat. noſtra de diſpenſat. circa matrimon. §. 66. in reſponſione ad rat. 4.*

47. Quomodo enim gentes propter inceſtum puniri potuiſſent ante ejus prohibitionis promulgationem? *Levit. XVIII.*

48. Et

(a) Ut prædicarent Evangelium omni creaturæ, *Marc. XVI. 15.* ſc. omnibus gentibus. *Matth. XXIIX. 19. ſeq. Luc. XXIV. 47.* non piſciculis, ut Divus Antonius, Creatura enim rationalis hîc intelligitur *Rom. VIII. 19.-23.*

Digitized by Google

48. Et quomodo ſacrificium Abeli Deo placuiſſet, qui ad hominum arbitrium coli non vult. *Eſ. XXIX. 13. Marc. VII. 7. Matth. XV. 9. Coloſſ. II. 23. Tit. I. 14*

49. Reſpiciunt vero leges univerſales hominem vel in ſocietate cum Deo, vel cum hominibus.

50. Hæ iterum inferuntur vel ad ſocietatem quamcunque, vel ad certam & determinatam.

51. In ſocietate cum Deo reperimus (1.) præceptum de non commedendo ex arbore vetita. *Gen. II. 12.*

52. Hoc ex ratione cognoſci non poterat, & integrum tamen genus humanum obligabat.

53. Nam ſi ex ratione cognoſci potuiſſet, non decepti fuiſſent protoplaſti.

54. Minime enim concedendum eſt Grotio *lib. II. cap. II.* §. 2. eos vixiſſe in ſumma ſimplicitate, & innocentes fuiſſe magis ex ignorantia vitiorum, quam cognitione virtutis.

55. Et ad argumentum ejus à nuditate & bonorum communione deſumtum reſpondet *Ziegler. ad Grot. d. l.*

56. An vero hoc præceptum perpetuo obligaſſet, dubitat Oſiander, nos nihil definimus.

57. Et probabilem tantum putamus conjecturam Lutheri, quaſi hoc præceptum ad cultum Dei externum ſpectaverit, & Adam ſub iſta arbore verbum Dei prædicaturus fuerit. vid. *Saldeni otia Theolog.*

58. Rejicimus vero profanam (a) Hadriani Beverlandi *in tractatu de peccato originali* opinionem, quaſi arbor iſta fuerit



(a) Et ſtylo ſpurciſſimo repræſentatam. Sed ipſe quidem *Beverlandus* ob ſtyli laſciviam deprecatus eſt in tractatu *de fornicatione cavenda ſ. adhortatione ad pudicitiam & caſtitatem.* In quo tractatu Chriſtianis omnibus ratione ſcandali dati ſatisfecit. Ceterum hanc opinionem cum vulgari veroſimiliter conciliat *Thomaſ. in Diſputat. de fundamentorum decidendi cauſas matrimoniales ſufficientia.*

membrum virile Adami. vid. *dict. tractat. p.* 20. 21.-25. 30. 31. 53. 62. 83. 85. 87. 89.

59. Cui tamen non abſimilis eſt *Joh. Bapt. van Helmont* (a) *in tractatu: Natura contrariorum neſcia. Operum pag. m.* 156. *ſeqq. Hobbeſ. Leviath. cap. XXXVIII, pag. m.* 209.

60. (2.) De ſanctificando Sabbatho. arg. *Geneſ. II.* 2. & 3.

61. Hoc repetitum & declaratum invenimus cum charactere mnemonevtico, memento! Exod. *XX.* 8. *ſeq. XXIII.* 12. *XXXI.* 13.-17. *Deut. V.* 12. 15. *Ezech. XX.* 12. *Jerem. XVII.* 21. -- 27. *Eſ. LVI.* 60. *ſq. LXVI.* 23. *Matth.* XII. 5-12. *Marc. II.* 27. *ſeqq. Luc. XIII.* 14-17.

62. Hujusque ratio duplex: prima univerſalis, memoria creationis.

63. Nam Deus in eo quieſcebat, eamque ſanctificabat.

64. Unde paſſim vocatur ſancta quies Domini, & Sabbathum Domini Dei noſtri.

65. Altera particularis, recordatio ſervitutis Ægyptiacæ.

66. Hinc dies iſta in ſignum æterni fœderis cum Judæis poſita dicitur.

67. Utut vero hodie ceſſet ratio particularis, non tamen ceſſat univerſalis. Dixi *in Commentatione peculiari cui titulus*: Bedencken vom Rechte des Sabbaths.

68. Conſiſtit autem ſanctificatio, tum in quiete, quæ etiam ſervis & jumentis competit.

69. Tum maxime in cultu divino, de quo *Jeſ. LVIII.* 13.

70. Maxime vero litigatur, an tota dies ſit ſanctificanda?

71. Mihi ita videtur: Dulciſſimam in Deo eſſe quietem, & felices, qui nauſeam ejus nunquam ſentiunt.

72. In-

(a) Clarius mentem *Helmontii* perſpicere licet ex ejusdem locis parallelis aliis: nempe tractatu, qui inſcribitur: Mortis introitus in naturam humanam *th. 9. 12. 13. ſeqq. p. 608.* & in tractatu ſtatim ſubſequente, qui *THESIS appellatur pag. 610. ſeqq.* & porro in adjecta theſeos demonſtratione, usque *ad pag. 643.* paſſim.

72. Interim ſufficere, ſi quis Deo ſatis reconcilietur, & conſcientiæ ſuæ tranquillitatem reddat.

73. Quod vero ſupereſt temporis, honeſtæ delectationi ſubtrahi non præciſe jubetur.

74. (3.) De non commedenda carne vivente. *Gen. IX.* 4. & 5.

75. Et hoc repetitur *Lev. III. ult. VII,* 26. *ſeq. c. XVII.* 10-14. *Deut. XII.* 23. *I. Sam. XIV.* 32. *Actor. XV.* 20. & 29.

76. Hujus ratio impulſiva iterum & univerſalis eſt, a prohibito homicidio deſumta. *Gen. IX.*

77. Et particularis, quia ſangvis altari deſtinabatur *Lev. XVII.* 11.

78. Interim hæc lex univerſalis eſt, non modo ob ejus rationem, de qua jam.

79. Sed & quia Noachô data, in novo teſtamento repetita, ibique ſollicite a legibus ceremonialibus ſeparata, & idololatriæ atque fornicationi comparata.

80. Nec tamen ſubſcribimus Leoni in *Novell.* 58. omnem cibum ſanguine conditum interdicentis ſub pœna fuſtigationis.

81. Nam ſanguine veſci, non niſi eſum carnis crudæ & palpitantis denotat. *Gen. IX. I. Sam. XIV.* & alibi. Alia explicatio ſuppeditatur (a) in *Thomaſ.* Hiſtorie der Weißheit und Thorheit, *P. III. p.* 330. *ſeqq.*

82. Interim hactenus propoſita tria præcepta ſocietatem hominis cum Deo, non vero hominum inter ſe reſpicientia ad inſtitutum noſtrum non adeo faciunt, ſed Theologis ſunt relinquenda.

83. Quorum doctrinæ etiam meditationes haſce, ſicubi aberraverimus, lubentiſſimi ſubjicimus.

84. Leges univerſales certam ſocietatem reſpicientes continent (1.) ſubjectionem uxoris, *Gen. III.* 16.

85. (2.) Prohibitionem divortii *Matth. V.* & *XIX.*



(a) Eaque quodammodo ſuffulcitur *Rom. XIV.* per ...

86. (3.) Prohibitionem polygamiæ virilis & muliebris. *arg. dd. ll.*

87. (4.) Prohibitionem inceſtus intra certos gradus. *Levit. XVIII.*

88. (5.) Prohibitionem Sodomiæ, *Levit. XIIX.* 22.

89. (6.) Prohibitum congreſſum cum menſtruata *Lev. XX.* 18. & *XIIX.* 19. *Ezech. XIIX*, 6. *Beuerl. de peccat. Orig. p. m.* 79. de quibus omnibus infra *in Cap. de ſocietate conjugali.*

90. Leges univerſales in quacunque ſocietate obtinentes ſunt: (1) Vetita habitualis concupiſcentia. *Rom.* VIII. 7. quo faciunt, quæ habet *Thomaſ. Diſſ. Prooem. ad. Inſt. Juriſp. div.* §. 47. & 48.

91. (2) Pœna capitalis homicidiis præfinita *Gen.* IX. *Exod.* XX. 12. *Num.* XXXV. 31. 33. quæ tamen hodie a multis non absque probabilitate in dubium vocatur. (*a*) vid. *Joh. Henichii Conſilium de Diſpenſatione circa pœnam homicidii. Phil. Lud. Hannekenii Jus Gratiæ Principis Chriſtiani in reos noxæ capitalis. Chriſt. Thomaſii Diſput. de Jure aggratiandi Principis Evangelici in cauſis homicidii, ibique ſubjunctum Ordinis JCtorum Halenſium Reſponſum.*

92. Huc referunt (3) pœnam capitalem adulterii. *Lev. XX.* 10. non recte, ut puto, neque eos juvat clauſula generalis ibidem ſubnexa *verſ.* 23. 93. Nam

(*a*) Hunc locum (1.) veteres Hebræi Interpretes non de lege proprie dicta, ſed de comminatione explicant. *Selden. de I. N. & G. L. 4. c. 1.* (2) ab iisdem ad ſolos Hebræos, non ad proſelytos vel gentiles pertinere credebatur. (3) ad ſervos Judæos a Dominis percuſſos, niſi e veſtigio morerentur, non extendebatur. (4) legem *Gen. IX.* magis de licentia & jure Goëlis explicandam & imo longe antiquiorem fuiſſe, unde metus Caini. (5) tum temporis nondum fuiſſe magiſtratus. (6.) intelligi poſſe de judicio Dei occulto, æque ac illud: ad generum Cereris ſine cæde & ſanguine pauci deſcendunt reges, & ſicca morte tyranni. (7.) legem illam non ſeparatam eſſe, ſed appendicem legis de ſanguine non comedendo. (8.) non loqui de omni voluntario, ſed de inſidioſo & dudum præmeditato homicidio.

Digitized by Google

93. Nam concedo delicta ibi memorata omnia eſſe contra jus divinum univerſale, non tamen ſequitur, (*a*) pœam etiam eſſe juris univerſalis. vid. *dict. Cap. XX. 9. 12. & 14.*

# CAP. IX.

## DE LEGIS NATURALIS PROPOSITIONE FUNDAMENTALI & DIVISIONBUS.

I.

DEum velle, ut conſervetur genus humanum, ſupra adſtruximus.

2. At indoles hominum talis eſt, ut ſibi relicti facillime perirent, ſeque invicem deſtruerent.

3. Quamvis enim in homine acerrima ſit cupiditas ſe conſervandi, (*b*) cui omnes reliqui affectus cedunt, vid. *ſupr. cap. IV. poſit. 3. ſeq.*

4. Eam tamen comitatur (1) maxima à nativitate imbecillitas.

5. Imo homo perfectæ ætatis miſerrimus eſſet, niſi informatio & auxilium aliorum accederet. vid. *Puſend. de O. H. & C. L. I. cap. III. §. 3. & Erid. Scand. p. 20. ſqq.*

 6. Ergo

(*a*) Singularis enim in Republ. Judaica ratio ſuberat, ne proles ex tribu aliena admiſceretur, turbatisque genealogiis criterium futuri Meſſiæ incertum redderetur.

(*b*) N. o. quod ſupra diximus, inſtinctum homines magis in deſtructionem propellere quam ad conſervationem; Reſp. inſtinctus humanus æque ac brutorum tendit ad conſervationem: differentia vero in eo eſt, quod bruta ſemper media huic fini convenientia reperiant, homo vero contraria arripiat.

6. Ergo quod vivimus, ab aliis hominibus eſt, poſt creatorem.

7. Et quod tanquam homines vivimus, aliis hominibus debemus.

8. Quod enim hominem a brutis ſecernit, eſt cogitatio.

9. Cogitatio vero eſt actus mentis, quo de ſchematibus cerebro impreſſis aliquid per modum orationis verbis conſtantis vel affirmamus, vel negamus, vel quærimus: Breviter: Cogitatio eſt ſermo internus. (a) vid. *Thomaſ. Philoſ. Aul. c. III. §. 29. ſqq. Ejusd.* Einleitung zur Sitten-Lehre *cap. III. §. 22. ſqq.*

10. Cogitatio ſcilicet non eſt ſine ſermone, ſermo non eſt ſine ſocietate, ſocietas vero viſibilis hodie non eſt, niſi cum aliis hominibus.

11. Ergo homo ſine ſocietate eſt ſine ratione, (b) homo vero ſine ratione eſt contradictio in adjecto.

12. Impoſſibile enim eſt, idem ſimul eſſe & non eſſe.

13. Ita nihil in orbe plus utilitatis in hominem confert, quam alii homines.

14. At non minor in homine proclivitas ad nocendum deprehenditur.

15. Longe enim plura objecta ſunt, quæ homo, quam quæ bruta appetunt. *Pufend. de O. H. & C. cap. III. §. 4.*

16. Neque minor validitas eſt nocendi, quam proclivitas. *Pufend. d. l. §. 5.*

17. Accedit infinita ingeniorum varietas, quæ ſine lege ad finem communem connecti non poteſt. *d. l. §. 6.*

18. Vt

(a) Et improprie dicitur: Ich war in Gedancken, ich weiß aber nicht, was ich dachte. Eo enim tempore non cogitamus, ſed motus cogitationum ſuſpenditur, wie eine Uhr ſtocket.

(b) Exemplum plane ſingulare, hominis inter urſos reperti qui ad tantillum rationis uſum per plures annos ægerrime revocari potuit, exhibet *Jo. Chriſtoph. Becmann. in Hiſtor. orbis Terrar. P. I. cap. IX. Sect. 4. p. 411. ſeqq.*

18. Vt autem coeco inſtinctu connecteretur, obſtabat dignitas hominis, cui fruſtra alioqui data fuiſſet cognitio. *Pufend. de J. N. & G. Lib. II. cap. I. §. 5.*

19. Per modum legis ergo adigitur, ut ſocietatem conſervet, vel ut ſit ſocialis.

20. Socialitas vero non conſiſtit in multitudine & turba, ſed in tranquillitate & bene diſpoſita cohærentia humani generis.

21. Hinc argumenta eorum corruunt, qui polygamiam jure naturæ præceptam eſſe ſomniant, quia ſocialitatem conſervaret.

22. Et quicquid ergo ad tranquillitatem (*a*) generis humani neceſſarium eſt, illud jure naturæ præcipitur.

23. Quicquid hanc unionem diſſolvit, illud jure naturæ prohibetur.

24. Fundamentum vero præcepti & prohibitionis non niſi in Deo quærendum, ſine quo affuiſſet quidem utile & inutile, non vero præceptum vel prohibitum, aut quod eodem recidit, juſtum vel injuſtum.

25. I. e. nemo obligatus fuiſſet, ut utile quæreret, inutile fugeret, ſed potuiſſet utilitati ſuæ renunciare.

26. Fallitur ergo Grotius *in proleg. n.* 11. aſſerens: Jus naturæ obligaturum fore, etiamſi daremus, Deum non exiſtere, nec negotia hominum curare. (*b*)

27. Falluntur etiam ii, qui putant dari actus per ſe & ſua natura honeſtos vel turpes.

28. Quibus annumerandi, qui aſſerunt obligationem natura

(*a*) Iſta tanquam maximum hominis bonum etiam in vita futura deſcribitur; ſie kommen zum Friede: Friede ſey mit euch. Conſentiunt Gentiles in pace prædicanda: Pacem te poſcimus omnes, Pax optima rerum, quas homini noviſſe datum eſt; pax una triumphis innumeris potior.

(*b*) Unde etiam eſt, quod ipſe jus Divinum poſitivum vocaverit voluntarium.

Digitized by Google

turalem ex objecto fluere in præceptum, poſitivam ex præcepto in objectum. vid. *Alberti Comp. Jur. Nat. cap. I.* §. 89.

29. Item qui putant, Deum velle jus naturæ, quia juſtum eſt, at jus poſitivuum juſtum eſſe, quia deus voluit. *Grot. lib. I cap. I.* §. 15. *n.* 1.

30. Interim non negamus, hanc legem natura notam & cordibus hominum inſcriptam eſſe. *Rom. II.* 15.

31. Id eſt, quemvis hominem, ratione ſua utentem, (*a*) aptum eſſe ad illud ſine revelatione ſpeciali inveſtigandum. *Pufend. de O. H. & C. cap.* 3. §. 12.

32. Neque negamus, eſſe immutabile; In hoc enim potiſſimum differt a jure poſitivo, & Deus non vult contradictoria. (*b*)

33. Objicitur: Deus diſpenſavit in jure naturæ; Ergo hoc eſt mutabile.

34. Reſp. Diſpenſatio vel ſumitur pro interpretatione verborum legis ad mentem legislatoris reſtricta; hæc non eſt diſpenſatio, nec mutatio.

35. Vel ſumitur pro exemtione perſonæ a lege alioqui obligatura, aut ſuſpenſione obligationis ad tempus aliquod; hic negamus, Deum in jure naturali diſpenſaſſe. (*c*)

36. Quinque vero exempla proferunt: Deum diſpenſaſſe in homicidio, furto, mendacio, polygamia, inceſtu.

37. Pro homicidio allegant *Gen. XXII.* 2.

38. R. Ad homicidium moraliter malum requiritur, ut patiens nihil deliquerit, & interficiens non habeat jus occidendi.

39. At Iſaac inſons non erat in reſpectu ad Deum, ſed reus mortis propter peccatum originale. *Rom. V.* 12. *c. VI.* 23.

40. Abra-

(*a*) Non ergo infantibus recens natis propoſitiones practicas ineſſe, dici poteſt.

(*b*) Ea nimirum non ſunt objectum potentiæ, & ſummæ perfectioni repugnant.

(*c*) *Grot. de I. B. & P. L. I. c. I. c. l.* §. 10. *n.* 5. 6. ibique *Teſmar. in not. ad verb. ne a Deo quidem*, & ad verb. Imago quædam.

Digitized by Google

40. Abrahamus vero delegatus erat executor juſtitiæ divinæ.

41. Pro furto facere putant *Exod. XI. 2. & XII. 35.*

42. Reſp. Furtum eſt ablatio rei alienæ, i. e. ejus, qui jus habet auferentem a re excludendi.

43. An vero Deus excludi poteſt per dominium homini competens, & an hominibus intuitu Dei plus juris competit, quam poſſeſſoribus precariis?

44. Diſſolvebat ergo Deus jus Ægyptiorum, ne vaſa iſta amplius eſſent aliena.

45. Deinde non erat ablatio fraudulоſa, nam Judæi jure ſuo utebantur.

46. Nimirum pro duriſſimis laboribus nihil dum mercedis acceperant, neque etiam ſponte vel gratis his moleſtiis ſe ſubjecerant; Nam ut hoſpites recepti erant, non ut hoſtes ſubacti.

47. At, inquis, promiſerant tamen reſtitutionem, & hoſti quoque promiſſa ſervanda ſunt.

48. Reſp. Competebat tamen jus retentionis, pro laboribus hucusque exantlatis; Imo & compenſationis, quia vaſa aurea & argentea hactenus habebantur pro fungibilibus.

49. Mendacii diſpenſatio profertur ex *Exod. I. 19.*

50. Verum ad mendacium proprie tale, & moraliter malum requiritur, ut alter jus habeat veritatem exquirendi.

51. Jus vero Pharaonis ad rem moraliter illicitam, infanticidia nempe ſe non extendebat. Alias obſtetricum obſequium cœcum fuiſſet.

52. Deinde requiritur, ut damnum alteri per mendacium inferatur, quod hic iterum deficit.

53. In Polygamia & inceſtu concedimus, Deum revera diſpenſaſſe. At hæc non eſſe contra jus naturæ, probabitur *infra.*

54. Cum ergo unicum ſit fundamentum legis naturalis, ejus quoque non niſi unica erit ſpecies.

55. Diverſa tamen ſunt ejus præcepta, prout influunt in ſocietates diverſas.

56. Et hinc naſcitur famoſa diviſio juris naturalis in jus naturæ in ſpecie, & jus Gentium.

57. Hoc continet præcepta in ſocietate gentium, illud vero præcepta in ſocietatibus reliquis obſervanda.

58. Plurimi vero Jus Gentium a Jure naturali ſpecie diverſum putant, ſeducti autoritate JCtorum Romanorum.

59. Inter eos eminent *Grot. Lib. I. cap. I. §. 14. Rachel. Diſſ. de Jure Gentium.* Reliquorum enim argumenta vel ſtraminea ſunt, vel ad hæc referuntur.

60. Putant vero, Jus gentium eſſe ſpeciem juris humani.

61. Ubi initio notamus, quæſtionem hic eſſe de lege, non de moribus inter plures gentes receptis; hos enim facile concedimus, ſed ad jus obligatorium referri poſſe negamus.

62. Scil. facultas v. g. legatos mittendi eſt ex jure divino naturali; ſed diverſus modus exercendi hanc facultatem eſt ex mero gentium arbitrio, neque alios, quam qui eo utuntur, obligat, imo ne hos quidem.

63. Legem vero gentium humanam negamus, qvia gentes ſibi invicem ſunt æqvales: Lex autem eſt juſſus Imperantis.

64. Imo inquit Rachelius: Gentes obligantur lege pacti.

65. Sed qvando initum eſt tale pactum? Certe quod de conventu poſterorum Noachi in monte quodam circumfertur, fabulam eſſe agnoſcunt ipſi legis gentium defenſores.

66. At forte pactum erit tacitum? Neque hoc: quia gentes nunquam talia facta commiſerunt, ex quibus nihil niſi conventio mutua præſumi poſſit.

67. Qvis enim diceret, Germanos obligari, ut in veſtitu Gallos perpetuo imitentur, quia hos aliquamdiu imitati ſunt.

68. Et quænam gentes hoc pactum celebrarunt, an omnes?

69. At

Digitized by Google

69. Atqui omnes nondum notæ ſunt, nec ubique ea, quæ ad jus Gentium referri ſolent, obſervantur.

70. An pleræque? at hæ reliquas nec per modum legis (quia ſunt pares) nec per modum pacti (quia hoc non niſi paciſcentes ſtringit) obligare potuerunt.

71. Quod ſi excipias, vota plura obligare etiam reliquos. Reſpondebo: Et hoc præſupponere pactum antecedens reliquorum, quod plurium votis obligari velint.

72. An moratiores? Quænam vero iſtæ, cum quælibet gens morata ſibi videatur, nec detur judex communis?

73. Ea enim decori pars ſecundum quam moratus aliquis vocatur, conſiſtit in conformitate actionum ejus cum cum actionibus eminentiorum in eadem republ. eodemq; ſtatu, viventium.

74. Quod ſi vero moratæ gentes vocentur, quæ leges naturales accuratius obſervant, quomodo hi prætendere poſſunt, ut etiam in indifferentibus reliqui eos imitentur?

75. Forte ergo jus gentium obligat tanquam conſvetudo?

76. Sed actus liberi arbitrii, ſi vel maxime conſvetudinem introducerent, ea tamen magis ad licentiam pertineret, quam ad legem.

77. Et tam lex, quam conſvetudo abrogari poteſt ab eo, a quo provenit.

78. At inviolabilitatem Legatorum, quæ pro potiſſimo Juris Gentium exemplo venditatur, non poſſe a gentibus abrogari, aſſerunt omnes.

79. Erit ergo ejus obligatio ex conceſſis non a voluntate gentium, ſed divina.

80. Et reliqui mores gentium, quatenus ad jus naturæ non ſpectant, non inferunt obligationem.

81. Ex dictis ergo patet, quod concedit Becmannus, Gentes in hoc jus neceſſario conſenſiſſe, quippe quod ex indigentia humanæ naturæ fluit.

82. Adeoque conſenſum gentium hoc jus non effeciſſe, ſed introduxiſſe.

83. Gentes ergo eo jure obligantur etiam citra ſuum conſenſum, qui non plus ad legem hic confert, quam conſenſus ſubditorum ad juſſum Imperantis.

84. Et ita jus gentium recte definitur, quod naturalis ratio inter omnes homines conſtituit. §. 1. *Inſt. de Jur. Nat. Gent. & Civil.*

85. Cœterum vulgo jus naturæ in primarium & ſecundarium diſtingui ſolet.

86. Illud vocant, quod citra ratiocinationem innoteſcit, nobisque cum brutis commune eſt.

87. Hoc quod ex ratione demum noſcitur.

88. Hanc diſtinctionem rejicit *Grot. lib. I. cap. I.* §. 11. admittit tamen aliam, quæ a Stoicis traditur inter prima & ſecunda naturæ. *Lib. I. cap. II.* §. 1. *n.* 1.

89. Jus Gentium quoque in primarium & ſecundarium dividunt.

90. Illud idem eſt cum jure naturæ ſecundario.

91. Hoc conſtat moribus, ex libero gentium arbitrio introductis.

92. Id vero non eſſe ſpeciem legis, probavimus in præcedentibus.

93. Neque agnoſco jus naturæ primarium; hoc enim nihil eſt, niſi inſtinctus. (*a*)

94. Inſtinctus autem regula actionum eſſe plane non poteſt, cum ſæpius in malum, quam bonum feratur.

95. Vnica ergo juris naturæ ſpecies ſupereſt, quam vulgo jus naturæ ſecundarium vel jus gentium primarium appellant, quæ in convenientia cum ſocietate conſiſtit.

(*a*) Longius adhuc a communi ſententia abit Bened. Wincklerus, *in Principiis Jur.* qui legem naturæ vocat *humanam*, eamque naturali, cœleſti & Divinæ opponit. Verum ejus hypotheſin jam recitavi *in Specim. I. Auctor. Juridicor. n. II. pag. 60.-65.*

# Cap. X.

## De SOCIETATE.

I.

Socialitas eſt aptitudo ad ſocietatem.

2. Societas vero eſt unio plurium ad certum aliquem finem.

3. Eſt *unio*, moralis ſcilicet, quæ in obligatione conſiſtit.

4. Hinc differt a converſatione, quæ ſine ulla obligatione inſtituitur.

5. Et a congregatione ſeu conventu plurium, qui nihil inter ſe; ſed cum tertio aliqvo agunt, v. g. in templo, theatris &c.

6. Membra ſocietatis talia eſſe debent, quæ vel omnia, vel alterutrum, obligationem recipere poſſunt.

7. Dividitur ſocietas (1) in divinam & humanam.

8. Per divinam non intelligimus myſticam unionem vel unitatem potius Sacroſanctæ Trinitatis, ſed unionem hominis cum Deo. (a)

(a) Neque tamen inhæreo tribus viis myſticorum: purgativæ, illuminativæ, & unitivæ. Quæſtio exoterica: an Deus omnes homines mediantibus maximis angoribus ad ſe convertat ab amore mundi? non videtur. Nec quadrat proverbium: Wer Canaan will ſehen, muß erſt durch die Wüſten gehen. Exempla *Tauleri*, *Siſelii*, &c. univerſalitatem non probant. Sed temperamentorum varietas varia corrigitur medicina Wachs brauchet gelinder Feuer zum ſchmeltzen als Eiſen, und dieſes auch gelinderes, als amianth.

9. Hanc negant eſſe ſocietatem, (a) quia deficit unio propter ſummam inter Deum & homines eſſentiæ diſtantiam.

10. Hanc tamen diſtantia non plane impedit unionem. Deus enim maxime amat homines *Joh. III.* 16. & *XIV.* 23. *I. Joh. IV.* 10. & hi viciſſim illum ſumme amare debet *I. Joh. IV.* 19. *Matth. XXII.* 37. (b) & præſertim in novo fœdere de Societate Paterna Dei Patris nobiſcum inita, quemadmodum & Societatis fraternæ & imo arctioris Chriſti & fidelium innumera teſtimonia proſtant. *Joh. I.* 12. *X.* 27. *ſeqq. XII.* 26. *XIV.* 21. *XV.* 1.-10. *XVII.* 10. *ſeqq.* 21. *ſeqq. XX.* 17. *Eph. V.* 23. *I. Joh. I.* 3. *III.* 1. 2. 9. 24. *IV.* 4 - 16. *V.* 18. *ſeqq. Hebr. II.* 11. 12. 17. *Joh. VI.* 51. *ſeqq.* 56. *Ebr. II.* 12. Quemadmodum in veteri Teſtam. Regis reſpectum, quem etiam in novo fœdere Deus non ubique depoſuit, vid. *Matth. XXV.* 34. 40. *I. Tim. I.* 17. *VI.* 15. *ſeq.* frequentiſſime reperimus.

11. Alii hanc ſocietatem impugnant, quod in ea non ſit communio (c) juris ſive obligatio reciproca.

12. At

---

(a) Ejus vero ſocietatis veritatem & exiſtentiam agnoſcit *Jo. Adam Oſiander* ad. *Grot.* de *J. B.* & *P. L. I. c. I.* §. 3. *obſ.* 2. eandemque Lipſiæ anno 1678 ſingulari Diſputatione morali de ſocietate divina ſ. ea, quæ eſt inter Deum & homines, ex fundamento creationis, defendit *M. Georg. Henr. Lehmann*, eamque definit: adunationem, qua Deus homines ad imaginem ſuam creatos tanquam pater arctiſſimo amore & benevolentia proſequitur, tanquam Dominus autem iisdem juſte imperat, homines viciſſim debita reverentia Deum colunt, ex quo hujus gloria et iſtorum omnigena proſperitas ſequitur.

(b) Huc maxime pertinent preces ſalvatoris, quibus nihil unquam magis me movit *Joh. XVII.* qui alias ſacrorum bibliorum lectione non delectatur, eum rogatum velim, ut ſaltem curioſitatis cauſa hoc caput attente, animoque tranquillo perlegat.

(c) Sed neque olim inter Dominum & ſervum juris erat communio, quandoquidem in corpus ſervile quidlibet ſtatuere licebat. Neque ergo opus eſt, ut cum *Cicerone Lib. I. de legib.* ex ratione utriusque communi indeque reſultante communione legis naturalis ſocietatem exſculpamus, quod & falſum eſt, & reverentiæ Deo debitæ detrahit.

Digitized by Google

12. At qvomodo probabitur: non eſſe ſocietatem ſine obligatione ex utraqve parte? Sufficit, qvod ex una parte adſit. Nam ſimplex obligatio etiam inducit unionem moralem.

13. Neque diverſitas eſſentiæ impedit ſocietatem, quamvis opponatur: ſequi, quod ſic inter homines & bruta quoque ſit ſocietas.

14. Hoc enim propterea negamus, quia ex neutra parte adeſt obligatio.

15. Nec obſtat: quod Deus ſibi ſufficientiſſimus glorificatione hominum non indiguerit, eamque ab aliis etiam creaturis obtinere potuerit.

16. Non enim quærimus, an ejusmodi finis neceſſario obtineri debeat. (a)

17. Neque an ab aliis creaturis obtineri potuerit, ſed annon ex intentione Creatoris homini incumbat.

18. Et certum eſt gloriam Dei ſine creaturis intellectualibus obtineri non poſſe.

19. Nam cœli, terra & mare in *Pſ. XIX. LXIX.* 35. *CXLIX.* narrare gloriam Dei dicuntur, i. e. oſtendere hominibus quanta Deo gloria debeatur. (b)

20. De ſocietatibus humanis dicetur in diviſione ſequenti.

21. In omnibus ſocietatibus humanis talis finis ſubeſt, qvi a ſingulis obtineri non poteſt.

22. Societas dividitur in inæqualem, æqualem & mixtam.

23. Societas inæqualis eſt unio plurium, quoad eſſentiam diſparium, quorum unus ab altero dependet.

24. In hac obligatio intercedit ex parte ſubditi, non ex parte imperantis.

25. Et

(a) Nempe mutua indigentia non ad cujusvis ſocietatis eſſentiam pertinet, ne humanæ quidem. An enim quilibet pater, qui non affectibus, ſed ratione ſana regitur, liberis indiget? & quis tamen negaverit inter ipſum & liberos ſocietatem?

(b) Quid vero eſt, quod pulli corvorum Deum invocare dicantur?

Digitized by Google

25. Et hujus exemplum natura notum unicum eſt, ſocietas inter Deum & hominem.

26. Societas æqualis eſt unio plurium quoad eſſentiam & libertatem ſibi æqualium.

27. Hanc negant Peripatetici, cum Ariſtoteli ſocietas in *ordine* conſiſtere dicatur, adeoque nulla ſit ſocietas ſine imperio.

28. Sed, quis neget ſocietatem gentium, quæ tamen eſt ſumme æqualis.

29. Eſt vero ſocietas gentium unio totius humani generis ad ejus conſervationem.

30. Hæc unio non ex pacto aliquo, ſed ex ſola naturæ æqualitate deſcendit.

31. Ejusque effectus eſt obligatio, ne alterum lædat, ut pacta ſervet, ut officia humanitatis exhibeat.

32. Hinc natura communem quandam cognationem (a) inter homines conſtituiſſe dicitur *l. 3. de J. & J.*

33. Et hujus ſocietatis reliquiæ ſuperſunt inter principes, qui non habent ſuperiorem, & concives, quatenus imperio civili non præjudicatur, quo pertinent, quæ habet *Puſend. de O. H. & C. lib. I. cap. VI. ſqq.*

34. Societas mixta eſt unio imperantium & ſubditorum quoad eſſentiam ſibi æqualium.

35. In hac uterque alteri, ſed imperans imperfecte, ſubditus perfecte obligatur.

36. Hujus ſpecies ſunt: Societas conjugalis, paterna, herilis, & civilis, de quibus infra.



(a) *Philo. Lib. IV.* de vita Moyſ. contendens non omni culpa vacuum eſſe eum, qui etiam juſte, etiam coactus ſui defendendi gratia hominem interfecit, rationis loco allegat τὴν ἀνωτάτω καὶ κοινὴν συγγένειαν ſummam illam communemque inter homines cognationem. Quam eandem rationem pro contraria deciſione & defenſionis neceſſariæ licentia uſurpat *Florentinus in D. l. 3.*

# CAP. XI.

## DE
# OFFICIIS ERGA DEVM.

I.

FInis ſocietatis cum Deo eſt gloria Dei, ejusque adeo primarium præceptum, Deum eſſe colendum.

2. Hoc præſuppoꝑit propoſitionem theoreticam, Deum eſſe perfectiſſimum, de qua nonnulla anticipavimus *cap.* I.

3. Hujus vero demonſtratio eſt, quia Deus eſt autor omnis perfectionis.

4. Hinc ſequitur (1) Deum non eſſe ab alio quodam.

5. Nam aliud iſtud eſſet perfectius, neque adeo Deus perfectiſſimus.

6. (2.) Deum non eſſe ſidera. vid. ſupra *cap.* I.

7. (3.) Deum non eſſe mundum univerſum. Nam mundus eſt compoſitum; Compoſitum vero non a ſe eſt; neque compoſitum poteſt eſſe infinitum, quia ſingulæ partes comprehenduntur; neque in æternum conſiſtere, qvia iterum diſſolvi poteſt, niſi a tertio ſuſtineatur. Qvod ex partibus colligimus. Neque id negare poterant Epicurus aliique Ethnici, unde materiam primam confinxerunt.

8. Et multa ſunt in homine longe nobiliora, quam in mundo univerſo, qvomodo ergo mundus hominem producere potuiſſet.

9. Multæ qvoqve functiones naturæ per hominem longe perfectiores fieri poſſunt, & quæ communiter circumferuntur elementa, non niſi paſſive ſe habent.

10. Qvod vero materia prima a Deo ex nihilo ſit creata, id difficilius ex ratione, aliqvo tamen modo cognoſcitur.

11. Cujus argumenta accurate exponit *Thomaſ. in Introd. Eth. c. 3. §. 8.-19.*

12. Quamvis enim argumento ejus contra regulam, *ex nihilo nihil fit*, nonnulla opponi poſſint, ea tamen reliquas demonſtrationes non evertunt.

13. (4.) Perfectiones creaturarum; quæ imperfectionem præſupponunt, Deo non poſſe attribui. v. g. motum, ſenſum, ſpeciem viſibilem. (*a*)

14. Deum a nobis plane non poſſe comprehendi.

15. Deum eſſe unum. Nam plura, quantacunque ſint, finita tamen ſunt, & circumſcribi poſſunt. Finitum vero non eſt perfectiſſimum.

16. Et plura individua non a ſeipſis, ſed aliunde eſſe, ratio dictitat.

17. Non ergo recurrendum erit ad rationem B. Ziegleri, Deum unum eſſe, quia eſt primus: Nam plures poſſunt eſſe primi, i. e. omnes, reliquos antecedere.

18. (7.) Deum curam gerere actionum humanarum, quæ demonſtravi *cap. 1.*

19. Nunc aliud ſuccurrit, idque evidentiſſimum argumentum: Deus omnia implet & comprehendit: (alias non foret infinitus) ubique ergo præſens eſt, & quidem ſecundum omnia attributa, quoniam ea ab invicem ſeparari non poſſunt, (alias DEUS ut compoſitum quoddam conſideraretur) Omnipræſentia vero ſecundum omnia attributa talis, neceſſario involvit providentiam, imo eſt ipſa Providentia. (*b*)

20. Ex dictis fluit principium cultus interni: Deo eſſe obediendum. (*c*)

21. Hoc

(*a*) Interim Deus ſub ſpecie hominis ſenis, capillis ad modum lanæ puriſſimæ & veſtitu ad inſtar nivis, ornati depingitur. *Dan. VII. 9. ſeq.*

(*b*) Adde ex lumine revelato. *Jer. XXXII, 19.*

(*c*) Scil. cultus internus conſiſtit maxime in omiſſione & paſſione; externu magis in actione.

21. Hoc innumeras fere concluſiones producit, quarum potiſſimæ ſunt:

22. (1.) Deum eſſe amandum, in eoque acquieſcendum,

23. Nam T. O. non niſi benefacere poteſt, quod rerum eventus comprobant. (*a*) add. *Rom. V. 3. 4. 5. Pſ. LXII. Eſ. XXX. 15. Rom. IIX. 28.*

24. (2) In Deum eſſe ſperandum. (*b*) Quia ſuo tempore finem ſuum, etiam refragante univerſo, in nobis obtinebit. ad. *Pſ. LVI. 12. Jerem. XXXII. 24.-fin. Dan. VI. 23.*

25. Et quotidiana experientia docet, iis qui ſine diffidentia in Deum ſperant, intentionem ſuam, ſi juſta ſit, optime cedere. add. *Sir. XXXIII. 27. ſeqq.*

26. De Deo conſiderate loquendum, nec nomine ejus abutendum. Neque adeo temere jurandum. *infr. c. XIIX.*

27. (4) De attributis & gubernatione Dei petulanter non diſputandum (*c*)

28. Temerarium enim eſſet, ens infinitum velle comprehendere. Confirmat nos adhortatio Apoſtoli *ad Coloſſ. II. 8. 1. Tim. I. 5.*

29. (5) Omnia Dei juſſa accurate obſervanda: Cum vindex malitiæ ſit potentiſſimus. *Exod. XX. 5.* idque ipſum certiſſimum ſit amoris Dei indicium *I. Joh. II. 4. ſeqq. Jerem. XXII. 15 ſeqq.*



(*a*) Gott thut überſchwenglich guts über alles was wir bitten und verſtehen. adde locum notatu digniſſimum *Jer. XXXII. 40. ſeqq.*

(*b*) *add. Rom. IIX. 24 ſeq.*

(*c*) Neqve enim poſitive & proprie concipere poſſumus, quid ſit Deus, ſed aliqualem conceptum formamus ex ſimilibus, v. g. Deus eſt ignis conſumens *Hebr. XII. 29.* Deus eſt lux absque tenebris *I. Joh. I. 5.* Deus eſt amor. *I. Joh. IV. 8.* Deus eſt Rex. *Pſ. X. 16. XXII. 29. XXIV. 7. XXIX. 10. XLVII. 3. 7. ſeqq. XCIII. XCVII. XCIX. Malach. I. 14.* Deus eſt Judex. *Pſ. VII. 12. IX. 5. 8. ſq. L. 6. LXXV. 8. LXXVI. 9. ſq.* Clypeus, refugium, petra, paſtor &c. hominum, *Pſ. XIIX. 2. 3. XXIII. 1. XC. 1.* add. omnino *Pufend. d. Off. H. & C. Lib. I. c. IV. §. 5. ſub fin.*

30. Cultus Dei externus tribus potiſſimum actionibus abſolvitur: Invocatione, glorificatione & gratiarum actione. (a)

31. Eaque ex ſola ratiocinatione cognoſci poſſe vulgo aſſeruntur, forte haud recte.

32. Quamvis enim digniſſimum eſſe Deum, qui celebretur, & cui gratiæ agantur, ex ratione cognoſcamus;

33. Deum tamen hæc ab hominibus exigere, ratio aſſequi non poteſt, quia in Deo cauſæ ceſſant, ob quas homines alios laudamus, iisque gratias agimus.

34. Imo preces ad Deum fundere rationi ſibi relictæ plane adverſum videtur.

35. Nam ipſi non ignotam eſſe indigentiam noſtram, docet ejus omniſcientia.

36. Ipſum nobis ultro benefacere velle, modo ipſi obediamus, docet immenſa bonitas.

37. Et abſurdum eſſe conatum Deum flectendi, infert ejus immutabilitas.

38. Videmus adeo, quantum ratio noſtra ſibi relicta, in indagando cultu externo, cæcutiat. (b)

39. Vnde nunquam placuit Deo cultus ab hominibus inventus. *Matth. XV, 9. Jeſ. XXIX, 13. ſeq. Marci VII, 5. 9.*

40. Vi-

(a) Gratiæ aguntur ipſi benefacienti; glorificatio eſt celebratio benefacientis erga alios. Deinde gratiarum actio concernit beneficia ipſi gratias agenti præſtita. Glorificatio vero omnia attributa & facta eximia ſ. Magnalia, ut vulgo vocantur, licet in glorificantem non redundent.

(b) Acquieſcimus igitur in voluntate Dei revelata; Ruffe mich an in der Zeit der Noth, ſo will ich dich erretten, und du ſolt mich preiſen. *Pſ. L, 15.* add. *Sir. XXXV, 16. 20. 21. 25. Pſ. X, 17. XIIX, 4. & 7. Jacob. V, 6.* Des Gerechten Gebet vermag viel, wenn es ernſtlich iſt. Das Verlangen der Elenden höreſtu, HErr. Ihr Hertz iſt gewiß, daß dein Ohr drauf mercket. Ich will den HErrn loben und anruffen, ſo werde ich von meinen Feinden erlöſet. Wenn mir Angſt iſt, ſo ruffe ich den HErrn an. rc. Das Gebet der Elenden dringet durch die Wolcken, und läſſet nicht abe, biß es hindurch komme, und höret nicht auf, biß der Höchſte drein ſehe.

Digitized by Google

40. Videmus ſimul cultum externum per ſe parum conferre ad ſocialitatem, modo obſervetur cultus internus.

41. Adeoque his præceptis de cultu externo, propoſitum noſtrum beatitudinem temporalem indagandi, non indiget.

42. Alias enim & doctrina de Sacramentis & univerſæ Theologiæ tractatio huc pertineret.

# CAP. XII.

## DE OFFICIIS HOMINIS CIRCA SE IPSVM ET IN SPECIE DE CVLTVRA SVI, DE DEFENSIONE ET JVRE ELVCTANDI EX NECESSITATE.

1.

PRæcepta Juris naturalis erga alios homines obſervanda, vel immediate eorum commodum reſpiciunt, vel mediate.

2. Hoc obtinetur, ſi quis aptum ſe ſocietatis humanæ membrum reddat.

3. Ejusque fundamentum eſt, ut homo ſe ipſum cognoſcat.

4. Deprehendit vero ſtatim, ſe eſſe creaturam finitam, & interitui quotidie expoſitam.

5. Vnde primum præceptum hujus capitis: Non eſſe nitendum ſupra vires: (a) add. *Thomaſ. Prudent. Conſultat. Cap. IV.* §. 80. *ſeqq. item* §. 27. *Sir. IV*, 31.

6. Huic affine eſt ſecundum: Viribus ſuis in quantum ſufficiunt, eſſe inſiſtendum (b) *Thomaſ. d. l.* §. 36. *ſeqq.* easque excolendas ad aliorum utilitatem.



(a) Hoc monitum imprimis ambitioſos concernit. Exempla præbent Diogenes & Alexander Magnus. Ille ſtimulante ambitione omnia negligebat, hic omnia appetebat.

(b) Hoc ad meticuloſos & voluptati deditos pertinet.

Digitized by Google

7. In harum vero cultura, animus corpori, & in illo voluntas intellectui præferenda. Unde doctrinæ morali & juri naturæ ſua conſtat utilitas.

8. In corpore, vita præ ſanitate, & hæc, præ membrorum integritate attendenda, atque conſervanda ſolertius, quam recuperanda.

9. Quæ omnia prolixe explicat Thomaſ. *in Jurisprud. Divin. lib. II. cap.* 1. Conſ. de cultura animi *Molinæum* von dem Seelen-Friede und der Gemüths-Ruhe; *Greneille* von Vortrefflig-keit des Geiſtes und Gemüths des Menſchen/wie auch der andern Kräffte/ per *Sauterum*. Franckf. 1674. & utiliſſimas de ſtudijs meditationes Puſendorffii *de J. N. & Gent. lib. II. cap. IV.* §. 13. quibus inſiſtit *Rechenberg. de Studiis Academicis cap. I.* §. 4. *ſq.*

10. Semper tamen utendum eſt viribus ad tranquillitatem communem.

11. Hinc vita aliis utilis, utut brevior, prævalet vitæ inerti, licet longiori.

12. Modo ea non abrumpatur cum impetu, nec alii adſint officium hoc commodius expedituri.

13. Hinc imperans recte injungit, ut vitæ periculum pro defenſione tranquillitatis communis ſubeatur.

14. Imo & ultro hoc fieri poteſt, ubi ſpes ſupereſt, id in aliorum ſalutem ceſſurum, fruſtra enim perire velle ſtultum eſt.

15. Siquidem moderamen inculpatæ tutelæ tam in defenſione ſui ipſius, quam aliorum inſontium obtinet, etiam moribus hodiernis, conſ. *Carpz. Pract. Crim. p. 1. qu. 32. Covarruv. III. Part. Relect.* § *un. Conſtitut. Criminal. Caroli V. art.* 150. *Harpr. ad* §. 5. *Inſt. de publ. Judic. n.* 130.

16. Neque tamen perfecte obligor ad defenſionem, niſi juſſus imperantis accedat.

17. Cæterum ubi tranquillitas communis non requirit mortis periculum, vitam projicere non licet, ſed eam defendi omni jure permittitur.

18. Vn-

Digitized by Google

18. Vnde prohibita eſt autochiria, cum nemo vitam a ſe ipſo habeat, ſed tanquam in ſtationem a creatore ſit conſtitutus, qvam invito imperante deſerere non licet.

19. Illicitum ergo eſt, mortem ſibi inferre ob tædium vitæ, vel ob malum præteritum ac futurum, cui tolerando homo non impar eſt.

20. Nam Stoici hoc approbantes erronea nitebantur hypotheſi, quaſi corpus non eſſet pars hominis, ſed carcer.

21. Et nec carcere effracto aufugere licebit, cui non ab hoſte, ſed ab imperante aliquis eſt incluſus.

22. Excipitur tamen autochiria (1.) autoritate divina ſuſcepta, cujus exemplum (a) in morte Samſonis quærunt.

23. (2.) Ab-

(a) Melius quidem ita, ac ſi ſimpliciter id factum heroicum vocent. Heros enim humanam naturam ſe ſupergreſſum. Ita *Lucianus heroa* definit: ὃς μήτε θεός, μήτε ἄνθρωπος, ἀλλὰ συναμφότερον. Quam definitionem laudat *M. Jo.* Deutſchmann *in Diſp. de virtute heroica, Vitemb. 1651.* habita & exempla Davidis, *Samſonis*, *Noachi*, *Moſis*, *Herculis*, Theſei affert, virtutemque heroicam dari inde probat; dari virtutes imperfectas, (continentiam atque tolerentiam) atque perfectas; ergo etiam perfectiſſimam ſ. heroicam. Heroicæ nugæ! Quamvis enim divinum quid in exemplis ſacris non negemus, jucundum tamen eſt legere, quomodo Herculis & Theſei labores exaggerentur & indubitata divinitas inde colligatur, eſſe putans, legibus naturæ humanæ obſequi recuſat. Quod & ſtolidum & injuſtum eſt, niſi ſingularis diſpenſatio & autoritas divina monſtretur, qualis etiam ſæpe falſo obtenditur, v.g. in Martiriis affectatis, ubi ad mortis ſupplicium provocarunt, qui latendo vitam ſervare potuiſſent, vel factis turbulentis injuſtisque aut indecoris ſibi aliisque ſupplicia acerbisſima accelerarunt, v. g. Abdas Epiſcopus Pyreum deſtruendo, alii Idola agmine facto deturbando & furibundorum inſtar comminuendo, edicta adverſus Chriſtianos affixa avellendo dilacerandoque. Babylas Martyr Decium Imperatorem vi oppoſita manuque in pectus ejus injecta ab ingreſſu templi arcendo, miles quidam lauream caſtrenſem reſpuendo &c. vel proprias ſibi manus inferendo. Qualia plura exempla collegit *M. Rothius de Martyriis affectatis, Vitemb. 1709. propoſita.*

Digitized by Google

23. (2.) Ab eo, qui rationis uſu deſtituitur, ſuſcepta.

24. (3.) Vbi quis videt ſe brevi certiſſime interiturum cum cruciatu intolerabili minime merito. *Thomaſ. Ipr. Div. lib. II. cap. I. §. 74.-79.* illuſtre exemplum legimus *II. Maccab. XIV*, 37. 46.

25. Modo mors intentetur non ob religionem; ſed ob cauſam temporalem.

26. Non enim dubitandum, Deum omnipotentem & providum in cauſa ſua vel periculum averſurum, vel vires ei tolerando ſufficientes ſuppeditaturum. Exemplum vid. *II. Maccab*, 18.-31.

27. Alii in caſu hoc tertio propricidium ſemper illicitum pronunciant.

28. At rationes pronunciandi deficiunt, neque enim ex lumine revelato prohibitio indiſtincta afferri poteſt

29. Et textus *Exod. XX, 13. & Epheſ. V, 29.* nihil amplius inculcant, quam quod jure naturali cognoſcitur.

30. Imo plane ad hunc caſum applicari non poſſunt: Nam interfectio ejus, qui certiſſime periturus erat, non eſt homicidium morale.

31. Neque carnem ſuam odit, qui eam cruciatibus intolerabilibus ſubtrahit.

32. Multo vero infirmior eſt eorum opinio, qui putant, reum criminis capitalis juſſu magiſtratus legitimi mortem ſibi inferre non poſſe.

33. Pergimus ad alterum membrum noſtræ aſſertionis: Licere defendere vitam, & quæ ad eam ſuſtentandam faciunt, ſi tranquillitas communis eorum jacturam non requirat.

34. Ad objectiones reſpondent *Pufend. de O. H. & C. cap. V. §. 5. & 6. Ziegler ad Grot. pag. m. 91. & 115.*

35. Hæc defenſio vocatur *moderamen inculpatæ tutelæ.*

36. Quod aliter ſe habet in ſtatu naturali, aliter in ſtatu civili.

37. In

Digitized by Google

37. In ſtatu naturali quævis læſio per violentiam repelli poteſt.

38. Imo eousque perſequi licet lædentem, donec ab eo mihi ſatisfactum & in futurum ſatis cautum ſit. vid. *Pufend. d. l.* §. 8.

39. Satisfactio iſta & cautio non niſi a victore determinari poteſt.

40. In eaque determinatione, licet iniqua, acquieſcendum eſt, ne bellum extendatur in infinitum.

41. Imo & hoſtem vim parantem prævenire licebit, ſi conſtet, eum circa vim mihi inferendam occupari. *Pufend. d. cap.* V. §. 11.

42. At in ſtatu civili requiritur, ut talis ſit læſio, quæ per judicem reparari non poſſit *d. l.* §. 9.

43. V. g. vitæ, ſanitatis, integritatis membrorum, pudicitiæ & bonorum fortunæ, ſi ablaturus ad judicem duci nequeat. *Pufend. d. l.* §. 13.-16.

44. Neque ultra defenſionem progredi licet; Cautio vero magiſtratus arbitrio relinquitur.

45. Requiritur quoque potentia nocendi proxima & periculum præſens, quod locum non relinquat adeundi magiſtratum, ejusque præſidium implorandi *d. l.* §. 12.

46. Eaque procedunt, ſive quis ex malitia, ſive ex errore vel inſania me adoriatur.

47. Et ſive errans jus habeat occidendi eum, cujus necem intendebat, ſive non.

48. Licita enim eſt defenſio, niſi jus alterius me invadendi eam impediat.

49. Errans vero vel inſanus jus me occidenti non habet.

50. Nec obſtat, quod proæreſi careat, adeoque non delinquat.

51. Nam defectus proæreſeos excuſationem præbet invadenti reſpectu pœnæ, non vero intervertit jus invaſi.

O 52. Ne-

52. Neque tam intenditur cædes invadentis, quam defenſio propria.

53. Ceſſat hæc defenſio, ubi alii modi ſuperſunt læſionem evitandi.

54. Adeoque tentanda compoſitio amica, aditus intercludendus invaſori, minæ etiam in ſubſidium vocandæ.

55. Ad fugam vero nemo obligatur, niſi certiſſima ſit periculi evitatio.

56. Quod ſi excedatur moderamen inculpatæ tutelæ: juſto dolori aliquid indulgetur, neque adeo pœna ordinaria obtinet.

57. Semper vero ſuadendum, ut levis injuria, vel rerum, quæ tanti non ſunt, jactura negligatur.

58. Non quod aggreſſori ad ea toleranda obliger, ſed propter amorem mei ipſius, ne intempeſtiva violentia majori me periculo exponam.

59. Denique ex conſervatione ſui fluit regula vulgaris: Neceſſitas non habet legem. *Puf. de O. H. & C. cap. V.* §. 18.

60. Vocatur vero neceſſitas, ſi periculo mortis inferendæ vel boni irreparabilis amittendi nulla via excepta una reſiſti poſſit.

61. Adeoque hæc neceſſitas eſt incolumitatis & quidem ſumma.

62. Et ob hanc licet transgredi leges divinas affirmativas, (a) quia hæ præſupponunt occaſionem & facultatem ſecure agendi, quæ in neceſſitate deeſſe dicitur.

63. Leges vero negativas ſuſpendit neceſſitas, ſi medium eluctandi non ſuppeditetur ex malitia aliorum, ſed ex naturali inſtinctu. (b)

64. Qui-

(a) Add. Pufend. *de J. N. & G. L. I. c. 5. §. 5.*

(b) Deus enim cum vita jus eandem conſervandi mihi indulſit, itaque jus dedit omnibus utendi mediis ab inſtinctu naturali ſuppeditatis. Secus ſi quis peccatum meum intendat, ubi ſupereſſet abnegatio Dei.

64. Quibus notatis ſuperfluæ erunt reliquæ diſtinctiones à quibusdam adhibitæ. *Thomaſ. Jurispr. div. Lib. II. cap. II. §. 145.*

65. Itaque probamus exempla, quæ *Puſend. de Off. H. & C.* allegat *Lib. I.* §. 19. 20. 21. Conf. *Thomaſ. Juriſprud. Div. Lib. II. cap. II.*

66. Imo & id approbamus, quod Zieglerus allegat *ad Grot. lib. II. cap. I.* §. 3. de ſeptem Britannis in vacto æquore ſine commeatu vagantibus, & ſocii mactati carne & ſanguine extremum famis & ſitis periculum ſuperantibus. Alia exempla apud *Carpz. lib. VI. Reſp.* 94. & *Ziegler. Volum. I. Them. XLVI. n.* 48.-64. reperiuntur.

67. His enim caſibus homicidium moraliter tale non committitur in eum, qui certiſſime cum aliis erat periturus. Conf. *Becm. Lin. Moral. cap. IX.* §. 11. *pag.* 246.

68. Quo obſervato corruunt argumenta (*b*) diſſentientium plurimorum, quorum tamen multitudo errori patrocinium non præbet.

69. Adſtipulamur quoque deciſioni *Puſend. de O. H. & C. cap. V.* §. 22.

70. Nam in moralibus, i. e. in quæſtione juſti & injuſti ſæpiſſime ex intentionis primariæ juſtitia, dijudicatur etiam mo-



(*b*) Inter ea potiorem locum obtinet vulgare brocardicon: non eſſe facienda mala, ut inde eveniat bonum. Quo ſæpe hypocritæ & miſanthropi abutuntur. Sed multa regeri poſſunt; (1.) ſubleſtam eſſe hujus regulæ fidem, ob incertam ejus originem, cum non ſatis probetur ex *Rom. III.* 8. (2.) eam procedere, ſi majus malum admittitur ob conſecutionem boni minoris, v. g. Wenn man Geld oder Leder ſtehlen wolte, daß man Allmoſen geben, oder arme Wäyſen mit Schuen verſorgen könne. Nempe regula nihil aliud vult, quam qvod negligenda non ſit ſubordinatio officiorum, quæ ſimul obſervari non poſſunt. Minus enim malum ad majus comparatum rationem boni induit. Multo vero minus hoc axioma applicandum ad tolerantiam mali, quod ſine reipubl. diſcrimine e veſtigio puniri non poteſt. Cujus exemplum in homicidio Joabi deprehendimus, *II. Sam. III. junct. I. Reg. II, 5. ſeqq.* add. *Matth. XIII, 28. ſeqq.*

Digitized by Google

ralitas effectus ſecundarii ſive medii. conf. *Thomaſ. Juriſpr. Div. Lib. II. c. II.*

71. At hic intentio primaria, defenſio vitæ procul dubio bona eſt.

72. Vtut ergo diſſentiant *Grot. lib. II. cap. I. §. 4. n. 1. ibique Ziegl. & Alberti in comp. Jur. Nat. Orthod. part. II. cap. III. n. 17.*

73. Iis tamen facile ſatis fit potiſſimum ex jam dictis. conf. *Becman. Lin. Doctrin. moral. cap. IX. §. 11.*

74. Denique licitam putamus ablationem victus aut veſtium & ſimilium in extremo vitæ periculo.

75. Modo periculum ſit (1.) extremum, (2.) aliis mediis indeclinabile, (quæ duo fluunt ex definitione neceſſitatis) (3.) citra culpam contingens, & (4.) alteri per ablationem non æque imminens, (5.) modo, res ablatæ reſtituantur, ubi periculum evaſero.

76. Heic enim jus imperfectum mutatur in perfectum, quia facile (a) determinari poteſt, an notabile alterius incommodum ſubſit.

77. Et quia ad ſublevandam extremam alterius neceſſitatem incommodum aliquando majus ſubiri debet. conf. *Pufend. de J. N. & G. lib. II. cap. VI. §. 4.*

78. Et ita melius procedi puto, quam ſi (1.) cum *B. Alberti in Comp. Jur. Nat. part. II. cap. II. §. 23.* dicamus, verum ſubeſſe furtum, quia res aliena eripitur invito domino.

79. Nam ereptio debet eſſe fraudulosa, qui vero jure ſuo utitur, fraudem non committit.

80. (2.) Si cum *Zieglero ad Grot. lib. II. cap. II. §. 6.* negemus caſum eſſe dabilem.

81. Quid enim, ſi quis migrare non poſſit ex urbe, v. g. obſeſſa, vel peſte infecta.

82. Et

(a) Plerumque enim quæſtio ſolum victum vel amictum aut commodatum ad breve tempus reſpicit.

82. Et quid ſi latronibus impetitus in regione ignota equo obviam arrepto, cujus dominum ignorat, effugiat, cum aliter evadere non poſſit.

83. Neque facit quod præſens ex fame vitæ periculum non ſit, niſi quis exhauſtis viribus jam decumbat, qui rapere ob infirmitatem nihil poteſt.

84. Non enim ad præſentiam periculi, ſed ad certitudinem regulariter reſpicitur.

85. Accedit quidem in civitatibus requiſitum, ut præſens ſit periculum; ſed eo caſu tantum, ſi magiſtratus in continenti a periculo me liberare poſſit.

86. At hic dum cauſa cognoſcitur, fame centies pereundum eſſet.

87. (3.) Si cum *Antonio Matthæi de crimin. lib.* 47. *tit. I. cap. I. n.* 7. concedamus furtum, negemus pœnam.

88. Contradictio enim eſt, delictum eſſe, ſed pœnam non mereri.

89. Nam delictum eſt factum contra legem, omni vero legi ineſt (virtualiter ſaltem) ſanctio pœnalis.

90. (4.) Si cum Grotio *Lib. II. cap. II.* §. 6. negemus contrectari rem alienam; cum in neceſſitate reviviſcat communio primæva.

91. Nam ita nec reſtitutio fieri deberet, ubi auferens periculo ereptus fuerit: Et concederetur ablatio, utut alter pari neceſſitate prematur, quod eſt contra Grotium *d. l.* §. 89.

92. Si negemus fieri lucri faciendi gratia: Quidnam enim lucrum majus eſt vita?

93. (5.) Si urgeamus, non fieri domino invito, i. e. juſte invito.

94. Nam in definitione furti non ad jus, ſed ad factum diſſenſus reſpicitur.

95. Supereſt quæſtio: an propter res meas ſervandas res aliorum pertere poſſim? de qua *Pufend. d. O. H. & C. cap. V. §. ult.*

96. Hanc negamus regulariter, quia talis neceſſitas non eſt incolumitatis, nec extrema. (a)

97. Niſi omnis damni reſtitutio promta offeratur, tunc enim alterius non intereſt. (b)

98: Neque huc pertinet caſus legis Rhodiæ de jactu, quia ibi periculum vitæ ſimul vertitur.

# CAP. XIII.

## DE FVNDAMENTO OFFICIORVM ERGA ALIOS; SERVANDA AEQVALITATE.

VIvit homo cum aliis hominibus ſibi quoad eſſentiam æqualibus.

2. I. e. cum talibus, qui eodem modo animam rationalem in corpore corruptioni patente circumferunt.

3. Porro qui ab eadem ſtirpe oriuntur, eodem modo naſcuntur, intereunt, *Sap. VII.* 1.-6. victu & amictu ſuſtentantur, ſuperflua naturæ ejiciunt, mutabilitati fortunæ ſubjiciuntur, prudentiæ & pietatis æque ſunt capaces & ad hanc æque tenentur, ex eaque æqualiter a Deo æſtimantur, inque vita æterna pro meritis ſine proſopolepſia excipiuntur.

4. Et quamvis nonnulli ingenii agilitate, corporis robore & pulchritudine, opibus, gloria, alios antecellant; ea tamen accidentium inæqualitas æqualitatem eſſentiæ non tollit.

5. Adde

(a) Vnde etiam neganda eſt juſtitia raptus Sabinarum, licet diſſentire videantur Grot. *de J. B. & P. L. II. c. II.* §. *21.*

(b) Add. *Hert. in not. ad Pufend. de J. N. & G. L. II. cap. VI.* §. *ult. lit. d. e.* ubi exemplum, wenn die im Hafen befindliche frembde Schiffe in Beſchlag genommen werden.

5. Adde quod infiniti caſus quotidie bona iſta, quantacunque ſint, nobis eripere poſſint. (a)

6. Et imo qui alios præcellit in certa qualitate, in alia non inferiori iisdem poſtponitur.

7. At homines, qui communiter bona aliorum ſine malis, & mala propria ſine bonis ſuis conſiderant; mirandam hanc Creatoris diſpoſitionem omnia æquantem non obſervant.

8. Id ſaltem certum eſt, omnes æque libero ſuo arbitrio uti, & rerum externarum valorem, quousque hæ appeti vel reſpui debeant, cognoſcere poſſe.

9. Hæc vero cognitio & agendi arbitrium potiſſima ſunt, ex quibus homo æſtimari vel deſpici poteſt.

10. Cumque lex naturæ obliget hominem qua talem; ſequitur omnes ea æqualiter teneri.

11. Neque ulla cauſa ſupereſt, cur alius præ alio eminere velit, niſi qua imperio humano ad conſervandam naturæ æqvalitatem opus eſt.

12. Scilicet æqualitas eſt vel naturæ & eſſentiæ vel libertatis & poteſtatis.

13. Illa eſt immutabilis & regem potentiſſimum cum miſerrimo mendico conjungit, adeoque ejus oppoſitum, quod quidem juſtum ſit, non datur.

14. Ejusque regula eſt: Quemvis alterum tractare debere ut æque hominem, *Pufend. de O. H. & C. cap. VII. §. 1.*

15. Hu-

(a) Quodque homo iis per ſuperbiam regulariter abutatur; unde Chriſtus & Apoſtoli toties teſtantur: non nobiles, potentes, ſapientes &c. in myſteria divina penetrare *I, Cor. I 25. ſeqq. II.* 1-8. Scil. non propterea quia nobiles, potentes, ſapientes ſunt, ſed quia perfectionibus ſuis abutuntur. Unde, quod probe notandum, Apoſtolus particulariter loquitur. Nicht viel Weiſe, nicht viel Gewaltige, nicht viel Edle. x. Exemplum regulæ præbent Phariſæi, Scripturarii & primores populi. *Joh. VII, 48. ſeq.* Sed & exceptionis exemplum non unum reperimus *Joh VII, 50. ſeqq. XII, 42. ſq.* & huc pertinent frequentes admonitiones, *Rom. XI, 20. ſeqq.*

Digitized by Google

15. Hujus oppoſitum eſt duplex, nempe (1) ſi accedat æqualitas poteſtatis, eſt illatio cujusque mali vel denegatio boni debiti.

16. (2) Inter eos, qui poteſtate ſunt inæquales, illatio malorum, quæ humanum modum excedunt. (a)

17. Ea illicita eſt etiam in captivos, ſervos vel delinquentes.

18. Æqualitas poteſtatis eſt jus cuique hominum competens actiones ſuas legi naturæ conformes pro arbitrio ſine impedimento alterius dirigendi.

19. Hæc mutari poteſt iisdem modis, quibus introducitur imperium, de quo ſupra *cap. V.* diximus.

20. Omne vero imperium humanum eo tendere debet, ut æqualitas naturæ magis conſervetur.

21. Inde homo recta ratione utens nemini ſeſe præfert, quod vocamus *modeſtiam*.

22. Ab ea differt *humilitas* homines impellens, ut alios potiores æſtiment, quam ſe ipſos.

23. Hæc ex ratione non magis cognoſci poteſt, quam cur quisque potiorem ſe æſtimet aliis. (b) *Thomaſ. Iſagog. Eth. c. V. §. 53. ſeqq.*

24. In

(a) Comparari meretur Jo. Chriſtoph. Becmanni Diſp. de Jure recipiendi exules fidei ſocios. Nec ratione deſtituitur ſententia Joannis Bodini (qui *Andius ſine bono* per anagrammatiſmum Cujacio audit) *Lib. 5. de Republ.* quamquam applicationes ibidem propoſitæ tolerari non debeant; crudelitatem ſuppliciorum v. g. vivi ſepulturam, pali per corpus transfixionem, diſcerptionem corporis per quadrigas in diverſum actas, &c. quarum genera complura Jacobus Dœplerus in theatro Suppliciorum commemorat, barbarorum propriam eſſe, quoque longius a ratione diſcedant homines, quo minus ingenio valeant, eo proprius eosque abeſſe à feritate beſtiarum, cum vim iracudiæ cohibere nequeant.

(b) Durum enim foret affirmare obligationem, ut quilibet ab omnibus aliis diſſentiat, ſeque omnibus aliis inferiorem credat, cum ii eum potiorem ſeipſis habere teneantur.

Digitized by Google

24. In ſubſidium ergo vocandum lumen revelationis. Vid. omnino *Philipp. II. 3. 4.*

25. Et quando *Hobbes de Cive cap. IV. §. 11. junct. c. III. §. 13.* atque *Puſend. de J. N. & G. L. III. c. II. §. 6.* humilitatem profitentur, revera intelligunt modeſtiam.

26. Contrariantur vero æqualitati ſuperbia, contumelia & læſio.

# CAP. XIV.
## DE VITANDA SUPERBIA ET CONTUMELIA.

I.

SUperbia vel nititur prætextu aliquo, vel ſaltem pro poſſeſſore poſſidetur.

2. Neutra turbat vitam ſocialem, quamdiu non accedit contumelia.

3. Nam ſuperbus ſimpliciter talis non deprimit reliquos homines infra ſortem communium, ſed ſe ipſum ſaltem ultra eam attollit.

4. Et hic ſi nullis prætextibus nitatur, miſericordia, non odio dignus eſt.

5. Imo inter eos, qui nondum tantos in vera virtute, ſincero proximi amore progreſſus fecerunt, ludibrio ſaltem haberi ſolet, unde & hæc ſuperbia vocatur ſtulta.

6. Qui nititur prætextibus, licet non ſufficientibus (nulli enim ſunt, qui ſufficiant,) longe tamen majores utilitates in alios diffundit, quam voluptatibus vel avaritiæ deditus.



Digitized by Google

7. Ille enim dona illa creatoris, propter quæ ſe extollit, excolit, ut gloriam augeat.

8 Et inſervit aliis pro viribus, modo ab ipſis honoretur.

9. At luxurioſus & avarus omnia negligit ad finem ſuum aliis noxium conſequendum.

10. Vnde infantes ambitioſi ſpem optimam ſui oſtendunt, dummodo vanitas eorum juſto tempore temperetur. (a)

11. Superbia vero cum contemtu conjuncta, uno verbo, contumelia longe intolerabilior eſt.

12. Nititur enim alios infra ſortem communem deprimere & ipſis exiſtimationem ſuam auferre.

13. Sed nititur ſaltem; nihil enim re vera aufert; unde læſionem non involvit.

14. Nam exiſtimatio vel naturalis eſt, cujus fundamentum eſt virtus.

15. Vel civilis, cujus fundamentum eſt vita reipubl. commoda, ejusque determinatio non alia, niſi voluntas principis.

16. Qvomodo enim privatus famam auferre poſſet, quam concedere non poteſt.

17. Diſcrepant hæ ſpecies toto cœlo: Nam poteſt nequiſſimus exiſtimatione civili gaudere, & optimus eadem deſtitui. add. Frommholds Bericht *in Thomaſii* kleinen Schrifften / *N. IX. pag.* 415. *ſeqq.*

18. Civilis ergo a privatis auferri non poteſt.

19. Certe ſi hi contra eam aliquid tentent, a principe reprimendi ſunt, non a privato.

20. Per virtutem, qua naturalis exiſtimatio conſtat, non intelligimus perfectiones corporis, nec intellectus, ſed voluntatis.

21. Non ergo alios, ſed ſe ipſos proſtituunt, qui aliis defectus naturales, v. g. formam corporis infelicem, ſtupiditatem &c. objiciunt.

22. Non

(a) Imo ad honeſtatem & induſtriam aſſuefaciendi potius ſpe boni conſequendi, quam metu mali inferendi.

Digitized by Google

22. Non multo melior eſt exprobratio timiditatis, quo ſpectant vocabula odioſa animos ad vindictam ſtimulantia.

23. Non enim fortitudo conſiſtit in privata injuriarum vindicta, contra voluntatem Principis inſtituta, ſed fortisſimus poterit eſſe patientisſimus.

24. Et ſtrenui duellantes in periculo ex voluntate Principis ſuſcipiendo ſæpe ſunt timidisſimi.

25. Fortis vero in Republica eſt, qui pericula præſentia & atroces injurias ſtrenue reprimit, reliqua vero magiſtratui permittit.

26. Quomodo enim denunciatio injuriæ judici facta infamare poteſt, cum ſuſcipiatur legibus ita jubentibus.

27. Legibus vero obedire gloriæ ducatur, non infamiæ.

28. Siquidem infamia eſt opinio, quod aliquis non ſit ſocialis, nec membrum Reipublicæ utile, ſed potius noxium.

29. Fingamus ergo hominem quam maxime quoad vitam amittendam timidum, hic tamen infamis non erit.

30. Quippe non ſolum bellum eſt hodie, quo aliquis utilitatem in Rempublicam conferre poteſt.

31. Imo rarior eſt hæc utilitas, neque primario intendenda, cum bellum ſit ſtatus contra naturam.

32. Et reliqua atque potisſima officia in Republica nullam audaciam, nullam violentiam requirunt.

33. Quin potius maxime noxium eſt ſtatui publico & injurium in imperantem, bellum privatum ſeu duellum meditari.

34. Quippe ſubditi defenſionis & ſatisfactionis arbitrium (excepta propulſione mali præſentis irreparabilis) Principi permiſerunt, ſine quo princeps non eſt Princeps.

35. Interim hujus criminis omni rationi adverſi fundamentum triplex potiſſimum eſt.

36. (1) Inveterata conſvetudo & exinde ortum præjudicium animis alte infixum.

37. Cum tamen conſiderandum foret, Germanos priſcos



Digitized by Google

ſolis fere rapinis & dimicationibus intentos eo ipſo barbaros fuiſſe & miſeros.

38. Hodiernum vero ſtatum tanto feliciorem & elegantiorem eſſe, quanto pacatiorem.

39. (2) Ipſorum Principum quorundam conniventia intempeſtiva, qui turbulentos tantum non præmiis affecerunt propriis legibus contrarii.

40. (3.) Defectus ſufficientis ex vulgi opinione ſatisfactionis ei, qui injuriam paſſus eſt, concedendæ.

41. Nam hic tribuendum eſt aliquid opinioni communi, quod obſervarunt Potentiſſimi Sereniſſimique Reges Poloniarum, Pruſſiæque, & Duces Saxoniæ ex ſtirpe Erneſtina, in Edictis adverſus vindictam privatam & duella publicatis. Cujusmodi Sanctiones pro cœleſti munere haberi, par eſt.

42. Majoris momenti eſt objectio vitiorum moralium ſeu criminum.

43. Semper enim aliquid ex calumniis hærere, imo per malitiam hominum maxime augeri ſolet.

44. Vnde jura civilia concedunt actionem injuriarum æſtimatoriam & recantatoriam.

45. Quarum illa vix abeſſe creditur a ſuſpicione nundinationis famæ & exiſtimationis.

46. At enim vero ludibrium & contumeliam jam perpeſſam æſtimare turpe non eſt, nec famæ nundinationem involvit, quemadmodum jure Gentium leno non eſt, qui ob adulterium ab uxore ipſo inſcio & invito jam commiſſum pecuniam accipit, niſi id etiam porro toleret. Facta enim infecta fieri nequeunt.

47. Et quamvis fama naturalis, quæ vita honeſta nititur, omnium calumniis ſuperior ſit; civilis vero non privati, ſed Principis arbitrio ſubſit; neque magis a privato auferri, quam reſtitui poſſit; quæ objectiones vulgo contra hanc actionem formantur.

48. Cum tamen fama illibata partem felicitatis temporalis omni-

Digitized by Google

omnium confeſſione conſtituat, iniquum foret, eam omni propugnandi licentia deſtitutam tot maledicorum inſultibus exponere. Quæ latius expoſui in *poſit. Pand. de Injur. pag.* 606. *ſeqq.*

49. Accedit ratio non contemnenda recipiendarum expenſarum proceſſus & reſidui in pias cauſas impendendi.

50. Recantatoria quoque rancore Chriſtianis interdicto non vacare creditur.

51. Neque enim ſatisfactionem intendere poteſt, cum nihil ſit ablatum; ſed vindictam privatam.

52. Verum quemadmodum obtrectatori avaro coercendo palinodia; ita ambitioſo calumniatori reprimendo pœna pecuniaria non ſufficit. Et charitatis opus eſt, non rancoris, amaris etiam mediis petulantiam linguæ maledicæ cohibere.

53. Nec conſtante ſolum plerorumque hominum opinione, ſed & ipſo judiciorum uſu & legum Imperii auctoritate ſuſpicionem criminis incurrit, qui ad ejus exprobrationem conticeſcit.

54. Nec obſtat, quod viro honeſto metuendum non ſit, ne aliquando inquiſitioni ſubjiciatur, & inculpatio ab inimicis facta non præjudicet. *Conſt. Crim. Carol. art.* 20.

55. Non enim ſolum, ne inquiſitioni ſubjiciamur, ſed & ut Viri boni videamur, & excitato aliorum amore & fiducia eos ad officia noſtra lubente animo ſuſcipienda invitemus, nobis laborandum eſt. Et exceptio inimicitiæ quo frequentior, eo probatu difficilior eſt.

56. Deinde aliud Eremitæ, Monacho, aliisque a negotiis ſeculi remotis; aliud homini in luce publica viventi vel victuro obſervandum eſt. (*a*)



(*a*) Non obſtat Matth. *V.* 10. 11. 12. nam & hæc Apoſtolis dicebantur, qui ob odium profeſſionis ſuæ ſatisfactionem a Magiſtratu ſeculari ne quidem impetrare potuiſſent; & Chriſtus inter alia Eccleſiam plantandi media eximiam etiam injuriarum patientiam adhiberi voluit. Eoque etiam pertinet *I. Petr. II.* 12. Monitum vero ad *Tit. II.* 7. & 8. non ad patientiam, ſed ad evitationem calumniæ & obtrectationum pertinet.

57. Porro venia obtrectatori pœnitenti (a) & declaratione contraria labem eluenti danda eſt.

58. Denique quilibet ſe ipſum examinare & vindictæ injuſtæ pruritum ſevere coërcere debet.

59. Cumque plerorumque ea ſit animi impotentia ut absque rancore actionem injuriarum proſequi non poſſint, præſtaret adeo omittere injuriarum litigia, & ſaltem magiſtratui denunciare eique pœnam relinqvere.

60. Huic enim in civitate proſpiciendum eſt, ne privata aliorum ſecuritas quocunque modo turbetur, eorumque exiſtimatio ne quidem attentetur vel ſugilletur.

# Cap. XV.
## DE
## VITANDA LÆSIONE.

I.

Sequitur prohibitio læſionis. Læſio eſt ablatio, peremtio, denegatio & interceptio ejus, quod nobis jure perfecto competit. vide. *Pufend. de O. H. & C. L. I. VI.* §. 3.

2. Hujus prohibitio tribuit jus perfectum eandem arcendi, de quo ſupra. conf. *Pufend. d. l.* §. 2.

3. Et ſi commiſſa ſit læſio, damni dati reparationem urgendi. *d. l.*

4. Damnum eſt effectus læſionis, ſupra *poſit.* 1 hic definitæ.

5. Vnde damnum non eſt (1.) interceptio ejus, ad quod alteri nullum jus competebat.

6. V. g.

(a) Vid. omnino Luc. XVII. 3. ſeq. ubi pœnitentia tanquam conditio remiſſionis ſupponitur.

6. V. g. ſi puella, cujus ſpem alter conceperat, ab altero licite obtineatur, modo priori nulla promiſſio facta ſit. Aliud exemplum eſt in *l. 24. §. ult* & *l. 26. ff. de damno infecto.*

7. (2) Denegatio Juris inperfecti, v. g. eleemoſynarum. *Pufend. d. l. §. 5.*

8. Reparatio damni continet non modo reſtitutionem vel penſationem rei principalis, ſed & fructuum & acceſſionum.

9. De fructibus dixi *poſ. 169.-189. inſt. de Jure Rer.*

10. Vbi nota: qui mala fide rem alienam poſſedit, tenetur ad omnia, quæ dominus honeſte percipere potuiſſet.

11. Obligatur ex delicto ſuo ad omne damnum ſarciendum; lucrum vero interceptum etiam damni rationem habet.

12. Bonæ fidei poſſeſſor non tenetur ad fructus, quos non percepit, vel ſine emolumento conſumſit.

13. Quia hic non ex facto illicito obligatur, ſed ex æquitate, ne locupletetur cum damno alterius.

14. Cæterum diverſa eſt reparatio damni, prout hoc vel dolo datum eſt, vel culpa; vel prout caſu (a) tantum evenit.

15. Huc referenda ſunt, quæ dixi *poſit. 45.-70. Inſt. de Oblig.* & in *Diſp. inaug. de dote Liciniæ reſtituenda, c. 2. §. 4-17.* adde *poſit. ad. ff. tit. Commodati.*

16. In quibus tamen ſi æquitatem naturalem reſpicias, nonnulla adhuc ſunt declaranda.

17. Qui obligatur ad factum, cujus peritiam profitetur, tenetur de omni negligentia, quæ a perito artifice evitari poterat.

18. Vbi damnum in re dedi, quæ penes me non erat, illud, ſi quidem ego cauſa fuerim, indiſtincte eſt præſtandum.

19. Debebam enim nimiam curioſitatem meam comprimere.

20. Idem dicendum, ſi rem alienam injuſte detineam invito

(a) Caſus fortuitus, caſus improviſus & fortuna quomodo differant, vid. *Zieg. Diſp. Volum. I. Them. XV. §. 3.*

vito domino, ubi inſuper caſus præſtatur, niſi res domino æque periiſſet.

21. Si res aliena volente domino penes me ſit, teneor ad eam diligentiam, quam propriis rebus adhibeo, niſi majorem promiſerim.

22. Cæterum ſi damnum detur a pluribus, vel omnes immediate concurrunt, vel non.

23. Et tunc damnum ab omnibus vel ſimul datur, vel ſucceſſive.

24. Si ſucceſſive, quilibet tenetur ad reparandum id, quod ipſe commiſit, niſi in integrum damnum conſpiraverint.

25. Si ſimul, & actus ſint dividui, v. g. diverſæ vulnerationes, quæ ab invicem ſecerni poſſunt, interum quilibet in tantum tenetur, quantum ipſe nocuit.

26. Niſi iterum omnes in damnum totum conſpiraverint.

27. Si vero actus ſunt individui. v. g. perfoſſio aggeris, excitatio incendii, quilibet tenetur in ſolidum, ſive conſpiraverint, ſive non. *Puſend. de J. N. & G. Lib. III. cap. I. §. 5.*

28. Si non omnes re ipſa concurrerint, ſed alter patraverit, alter juſſerit, vel conſilium dederit, vid. meam *Diſp. Inaug. c.* 2. §. 37. & 38.

29. Qui vero talem operam ad actum illicitum non contulit, neque ut iſte ſuſciperetur, antecedenter effecit, ad damni reſtitutionem non tenetur.

30. Si quis in partem emolumenti tantum venerit, non tenetur ultra id, quod accepit.

31. Vitium enim hoc caſu non perſonæ inhæret, ſed rei.

32. Quod ſi tamen ſervus vel beſtiæ noſtræ damnum dederint citra culpam noſtram, obligamur, ut ſervos dedamus, vel damnum ab iis datum reſarciamus.

33. Servus enim naturaliter obligatus eſt ad reparandum damnum ab eo datum.

34. At

Digitized by Google

34. At ipſe quoad corpus & opes eſt in dominio, quo ſatisfactio alteri debita impeditur.

35. Siquidem ſi ſervus in naturali libertate conſtitutus eſſet, læſus eum perſequi & quocunque modo reparationem obtinere potuiſſet.

36. Æquum ergo eſt, ut dominus juri ſuo tantiſper renunciet, quoad alter ſatisfactionem obtinuerit.

37. Quoties enim lex & facultas collidunt, toties hæc illi cedit.

38. Cedet ergo & hic facultas dominii legi potiſſimæ, de damno reparando.

39. Accedit, quod dominus utilitates occaſione ſervi percipiat, cur ergo non & incommoda ſuſtineat?

40. Quod ſi vero tanti non ſit damnum, ut dominio ſuo propterea renunciare utile ſit, illud ſimpliciter eſt reſarciendum.

41. Vlterius enim nec ipſe ſervus obligatus erat.

42. Idem dicendum eſt de beſtiis manſuetis contra naturam nocentibus.

43. Nam ſi feræ ſint, vel manſuetæ ſecundum naturam nocentes; vel culpa domini ſubeſt, adeoque damnum utut longe majoris ſit pretio beſtiæ, præciſe reparandum.

44. Vel ſubeſt culpa læſi; tunc ſibi damnum, quod patitur, imputet.

45. Duo ſaltem ſuperſunt dubia (1.) quod propter ſervum noxalis actio competat, quia ipſe naturaliter eſt obligatus, beſtia vero plane non obligetur.

46. Reſp. Sufficit, quod mihi jus circa beſtiam, ſi extra dominium foret, ad damnum reparandum competeret.

47. Sed ita (2.) beſtia ſemper foret dedenda, licet damnum eſſet minimum.

48. Nam ſervum perſequi non poteram ultra damni repa-



Digitized by Google

rationem; ac beſtia, quæ nullius eſt, ob minimum damnum perpetuo noſtro dominio recte adjicitur.

49. Reſp. Cauſa occupandi beſtiam vel generalis eſt; utilitas occupantis rem communem; vel ſpecialis: reparatio damni.

50. Generalis ſublata eſt per dominium alterius, ergo ſpecialis tantum ſupereſt.

51. Ex dictis patet ratio diverſarum deciſionum in *l.* 1. §. 11. *& l. ult. ff. ſi quadrupes pauper.*

52. Bos enim irritatus nocuit ſecundum naturam, mula contra naturam.

53. Reparandum ergo eſt damnum dolo, vel culpa datum.

54. Et ſi quidem culpa commiſſum ſit, læſo in reparatione acquieſcendum; modo lædens eam offerat & malitiam abſuiſſe teſtetur.

55. Si dolo datum ſit, vel ſponte pœnitet alter, antequam ad anguſtias ſit redactus; quo caſu etiam ſola reparatio ſufficit.

56. Niſi ille ſæpius antea nocuerit; Tunc enim inſuper cautio exigi poteſt.

57. Quæ enim recte extorquetur ab eo, qui pœnitere non vult, priusquam ad incitas redigatur.

58. Cæterum reparatione & cautione obtenta in pacem redeundum.

59. Omne enim bellum eo tendit; & rationi adverſatur aliis male facere abſque intentione boni futuri.

60. Imo impium eſt dolore eorum, qui quantumcunque nos læſerint, ejusdem tamen nobiſcum naturæ ſunt, animum noſtrum ſatiare.

61. Huc ſpectare puto Numinis effatum; (*a*) Die Rache iſt

(*a*) Forte etiam ibi verbum: vergelten, non ad eum, adverſus quem vindicta exercetur, ſed ad eum, qui malum ab illo paſſus eſt, refertur, & ita intelligendum eſt: patienti aliis modis reſarciam damnum ei datum, & dolores perpeſſos in lætitiam commutabo.

Digitized by Google

iſt mein / ich will vergelten. *Deut. XXXII.* 35. *Rom. XII.* 17. 19. *ſeqq.* quemadmodum ſub emphatica repetitione vindicta Numini tribuitur *Pſ.* 94. *verſ.* 1. *& ult.*

62. Solus nimirum Deus, quia diverſæ ab hominibus eſſentiæ eſt, pœnam ignis æterni non propter bonum futurum, ſed propter malum præteritum tantum, juſte infligit.

63. Accedit alia conſideratio proniores nos ad ignoſcendum reddiṫura, ex *Matth. XIIX.* 23. *ſeqq.* (*a*)

# CAP. XVI.
## DE OFFICIIS HVMANITATIS ET BENEFICIIS.

I.

NOn ſufficit ad ſocialitatem, ne aliis noceamus, ſed inſuper requiritur, ut eorum utilitatem promoveamus.

2. Hic finis eſſe debet omnis culturæ animi & corporis noſtri.

3. Plane in diverſum abit error communis, eo potiſſimum reſpiciendum eſſe, ut habeat quis, de quo victitet, vel ut magnos honores conſequatur.

4. Hinc aurea praxis cognitioni legum divinarum præfertur.



(*a*) Ita in oratione dominica petimus, ut Deus nobis remittat debita noſtra, ſicut & nos remittimus debitoribus noſtris. Scil. remittere debemus, quæ ipſi vel omnino non, vel non niſi cum ſumma calamitate & miſeria præſtare poſſunt. Ita enim & nos ſummo Numini ſatisfacere non poſſumus, vid. *d. l. Matthæi*, Recte ergo exigimus debita, quibus præſtandis par eſt debitor.

Digitized by Google

5. Hinc ad officia adſpiramus, non attendentes, quam bene iisdem præeſſe poſſimus, ſed quantum redituum vel gloriæ inde percipiamus.

6. Hinc elegantiſſima ingenia a ſtudiis elegantibus & vere utilibus vel plane retrahuntur, vel ſcientias dimidias duntaxat addiſcunt.

7. Hinc invidia contra alios lautiorem ſibi victum acquirentes vel majori dignitate civili fulgentes, unde pleraque eruditorum disſidia.

8. Hinc avaritia, durities erga miſeros, fraudes in contractibus, clandeſtina aliorum ſuppreſſio &c.

9. Hinc opulentiorum hæredes impune a ſe ignaviæ litari credunt, quod aliorum induſtria jam partum ſit, unde ſvictitent; ut alia exempla taceamus.

10. Eo magis ergo huic errori occurrendum, quo plura detrimenta exinde in genus humanum redundant.

11. Et oſtendendum hominibus: Sponte affuturum victum & lautiorem forte quam intendebant, ſi pro viribus aliorum commodum promotum eant.

12. Nec defuturos honores, ſi veram aliorum utilitatem ſincere & ſolicite intendamus.

13. Cogitandum vero, nos non certis individuis, ſed omnibus obligatos eſſe.

14. Hinc ſtudium inſerviendi aliis ita temperandum eſt, ne (1.) in officiis certæ perſonæ præſtandis inutiles nos reddamus ad benefaciendum aliis.

15. (2.) Ne nimios ſuſcipiamus labores in præſtandis iis, quæ ab aliis longe facilius & promtius fieri poterant.

16. (3.) Vt utilitas aliorum per noſtra officia revera promoveatur.

17. (4.) Vt hæc utilitas grata ſit accipienti. Nam plane invito non obtrudendum beneficium.

18. Cer-

Digitized by Google

18. Certe ſi ex tribus poſterioribus requiſitis aliquod deficiat, de ingratitudine accipientis conqueri non poſſumus.

19. Officioſitas vero his cancellis incluſa non modo laudabilis eſt, ſed etiam præcepta, utut aliquale incommodum noſtrum ſubſit.

20. Non tamen petenti dantur remedia coactiva. conf. quæ ſupra dixi *cap. VI.*

21. Tum quia hæc tanti non ſunt, propter quæ violentia adhiberi & ſocialitas abrumpi, vel lites judiciales excitari poſſint.

22. Tum quia determinari non poteſt, quantum inde incommodum enaſcatur ei, a quo petuntur.

23. Tum quia prætextus infiniti eorum (quantilla etiam ſint) recuſationi poſſunt obtendi.

24. Neque obſtat, quod puniri etiam poſſint, quia ſigna itineris abolent, poſtquam iis uſi ſunt, vel nutrimenta perdunt & fontem obturant.

25. Hoc enim non tam eſt denegatio officiorum humanitatis, quam læſio, quia non omittendo, ſed committendo, peccatur.

26. Sunt vero hæc officia vel officia humanitatis in ſpecie, vel beneficia.

27. Horum differentia non deſumitur a quantitate utilitatis in accipientem redundantis, ſed a difficultate vel periculo præſtationis. (*a*)



(*a*) Non obſtat (1.) quod ſumma beneficia quotidie nobis a Deo abſque Ejus moleſtia præſtentur. Reſpond. Deus nobis ad nihil omnino obligatus eſt, unde quicquid ab eo accipiamus, ſummi beneficii loco habendum. Homines vero ad id, quod circa moleſtiam præſtari poteſt, lege naturali obligantur. (2.) Quod literas commendatitias dare beneficium ſit, nec tamen moleſtum. Reſpond. eſt periculoſum, ſi commendatus elogio noſtro non reſpondeat. (3.) Quod ſi Princeps aliquot millia aureorum donet, id omnino beneficium vocan-

Digitized by Google

28 Siquidem beneficium debet eximii aliquid continere reſpectu dantis, non accipientis. conf. *Thomaſ. Introd. Eth. c. V. §. 24. Marc. XII. 41,-44.*

29. Hinc etiam officia humanitatis non obligant ad ſpecialem gratitudinem, ſecus ac beneficia.

30. In illis enim demerendis non eſt, quod multum laboret accipiens, quia dans laboravit in exhibendis. add. *Thomaſ. d. l. §. 25. ſeqq.*

31. Hæc vero a dante minoris ſemper; ab accipiente maximi ſunt æſtimanda.

32. Hinc multum gratiæ accedit beneficio, quod hilari fronte, promto & declarare commiſeratione datur.

33. Accipiens vero declarata debet, beneficium ſibi gratum, ſeque paratum eſſe ad officia alteri grata viciſſim pro viribus exhibenda.

34. Fœdiſſimum enim eſt nomen ingrati & fœdius nomine injuſti.

35. Hic enim per coactionem ad officium redigi poteſt, ille non.

36. Cumque inhoneſtum ſit, iis, qui nihildum nobis benefecerunt, communem amicitiam denegari, multo minus deneganda eſt iis, qui nobis profuerunt.

37. Et ſi iis obligari nolebamus, poteramus oblatum beneficium recuſare.

38. Interim ad exigendam gratitudinem nulla datur coactio.

39. Tum

dum ſit. Reſpond. ſumma ſubditorum reverentia & obſequium Principi debitum faciunt, ut a technico ſignificatu heic deflectatur. Quod ſi regeras: hoc modo Principem beneficiorum exhibendorum incapacem declarari: Imo vero capax eſt, ſi v. g. innocentem adverſus principem vicinum potentiorem cum periculo provinciarum ſuarum protegat, &c. Deinde licet dicamus, eum beneficii capacem haud eſſe; id nullam ipſi imperfectionem affricat, ſed nota eſt eximiæ perfectionis.

Digitized by Google

39. Tum, quia ea eſt difficillimæ determinationis.

40. Tum, quia non eſſet beneficium, ſi alter ad totidem præſtandum cogi poſſet.

41. Tum, quia ceſſaret ſplendidum iſtud generoſi animi indicium, neque conſtaret, an quis proprio metu, an metu coactionis gratiam rependerit. (*a*)

42. Neque obſtant, quæ in contrarium prolixe adducit *Bœclerus in Diſſertatione de actione ingrati, Commentario Grotiano ſubnexa*, ea enim diluimus in *poſit. ad ff. de J. & J. pag. 5.*

CAP.

(*a*) Alias, easque maximi momenti rationes affert *Seneca de Benefic. Lib. III. cap. 14. 15. 16.* Pauciora erunt beneficia, (ſi gratitudo extorqueri ab invito non poſſit) ſed veriora. Quid autem mali eſt, inhiberi beneficiorum temeritatem? circumſpectius donandum, circumſpectius eligendi ii, in quos merita conferantur. Hoc modo beneficia auctoritatem ſuam tenent, & magnifica ſunt; pollues illa, ſi materiam litium feceris. Qui dat beneficia, DEos imitatur; qui repetit, fœneratores. Plures ingrati erunt, inquis, ſi nulla adverſus ingratum datur actio. Imo potius pauciores; quia majore delectu dabuntur beneficia. Deinde non expedit notum omnibus fieri, quam multi ingrati ſint, pudorem enim rei tollet multitudo peccantium, & deſinet eſſe probri loco commune maledictum.

Digitized by Google

# CAP. XVII.

## DE
# PACTIS SERVANDIS.

I.

HOmines miſere viverent, niſi alter alterius auxilio uteretur.

2. At malitia plerorumque ad officia humanitatis raro, ad beneficia exhibenda nunquam, niſi erga amicos ſpeciales (ſæpe ne erga hos quidem) inclinat.

3. Imo tantis ſæpe beneficiis indigemus, quæ gratis ab altero ſalvo pudore ne petere quidem poſſumus.

4. Sæpe conditio noſtra non patitur, alteri pro præſtatione gratuita, tanquam pro beneficio obligari.

5. Et præſtans quoque ſæpe redditionem æquivalentis omni obligationi ad gratitudinem præfert.

6. Neceſſaria ergo ſunt pacta, ut iis obligationes imperfectæ confirmentur vel facilitentur.

7. Accedit, quod omnis ſocietas humana (excepta paterna & gentium) pactum præſupponat.

8. Et quod ruptum per hoſtilitatem vinculum ſocialitatis, non niſi per pacta redintegrari poſſit.

9. Pacta ſunt translatio juris noſtri mediante conſenſu inſtituta.

10. Ergo (1.) promiſſiones ad non-cogitata non extenduntur, & omnis contractus intelligitur rebus ſic ſtantibus. (a)

11. V. g.

(a) Exceptis tamen contractibus oneroſis dominium ſtatim transferentibus v. g. emtione, venditione, permutatione, &c. ita redhibitoria locum non habet, ob inſecutam calamitatem publicam fundis omne pretium adimentem; ob mercis interitum caſualem, ob indigentiam ex parte venditoris ſubſecutam, vel ex parte emtoris aliis modis jam ceſſantem.

Digitized by Google

11. V. g. donatio maximæ partis bonorum revocatur ſupervenientibus liberis. *l. ult C. de revoc. donat.*

12. Locatio ante tempus finitum reſcinditur ſuperveniente indigentia locantis, *l. 3. C. Locati. cap. 3. X. D. locat. & conduct.* item peſtilentia, bello, &c. *l. 13. §. 7. l. 25. §. 2. D. Locati. Gail. L. II. obſ. 23. n. 7.* add. *B. Petri Schulz, Diſput. de novo emergente.*

13. Conductor caſus fortuitos recipiens, ad inſolitiſſimos, de quibus prudens paterfam. cogitare non potuit, præſtandos non obligatur. *Gail. d. l. n. 18.* (a)

14. Theſaurus non ſpectat ad uſufructuarium fundi, in quo invenitur.

15. Tripus aureus a piſcatoribus e mari extractus non ſpectabat ad emtorem jactus retium, ſed ad extrahentes, tanquam occupantes. *Puſend. de J. N. & G. L. V. c. V. §. 6.*

16. Ergo (2) de factis impoſſibilibus, illicitis, item rebus commercio exemtis & alienis, qua talibus, paciſci non poſſumus.

17. Hæc enim omnia juri noſtro ſunt exemta.

18. Vnde pro facto illicito, ſi patratum ſit, conventa merces exigi nequit.

19. Solutam tamen eo nomine ſolvens repetere non poteſt, quia & ipſe dando deliquit. *tot. tit. D. de condict. ob turp. cauſam.*

20. In civitatibus vero fiſcus ea ſibi vindicat, ne privatus lucrum acquirat ex turpi cauſa, *l. 9. D. de jure Fiſci.*

21. At quod datum eſt, ne committatur delictum, repeti poteſt, quia dans non eſt in peccato.

22. Quæ data fuerunt ob factum impoſſibile, reſtituenda ſunt.



(a) Ita conductor tributa ordinaria & extraordinaria recipiens non tenetur ad contributiones immodicas ab hoſte poſt contractum ſubito irrumpente præſtandas.

23. Et ſi promittens impoſſibilia in dolo verſetur, vel vires præſtandi ſibi ſubtraxerit præter reſtitutionem ſimul præſtandum id, quod intereſt.

24. Ergo (1) ſi duobus ſucceſſive eadem res in ſolidum promiſſa eſt, præſtanda erit priori.

25. In hunc enim jus noſtrum jam translatum erat, neque ſupereſt, quod in alterum transferri poſſit.

26. Idem ergo dicendum, licet poſterior rem poſſideat; quia heic non eſt par cauſa.

27. At jus civile contrarium introduxit, ut litium multiplicatio impediretur. *l.* 15. *C. de rei vind.*

28. Interim contra hanc juris Civilis diſpoſitionem praxi hodierna invaluit, ut qui rem alteri jam promiſſam accepit prioris promiſſionis non ignarus, eam ei, cui prius promiſſa eſt, reſtituere teneatur, quod practicam *d. legis* 15. appellant, cum potius ſit ejus correctio, qua æquitas naturalis ſupra expoſita ſaltem ex parte reſtauratur.

29. Ergo (4.) & promittens & acceptans voluntatem ſuam declarare debent.

30. Quia conſenſus eſt unanimis voluntas plurium circa præſtationem rei vel facti, & omnes ejus circumſtantias.

31. Hinc, quamdiu unus alterius voluntati nondum ſe accommodavit, nondum adeſt conſenſus.

32. Adeoque actus eſt nullus, & promittentis juri nihil deceſſit.

33. Promittens enim juri ſuo in favorem acceptantis tantum, non reliquorum, renunciat.

34. Et renunciat ſub conditione, ſi alter acceptaverit; ceſſante vero conditione actus eſt nullus.

35. Hinc patet, quam inconveniens ſit philoſophia Celſi, ſi generaliter intelligatur in *l.* 18. §. 1. *D. de acquir. vel amitt. poſſ.*

36. Por-

Digitized by Google

36. Porro (5.) qui poteſtate conſentiendi vel conſenſum declarandi deſtituitur, ille non poteſt paciſci.

37. Vnde excluduntur infans, amens, ſumme ebrius, qui promiſſis ſuis non obligantur.

38. Etiamſi hic culpa propria inebrietur. probavi *in annotat. ad poſit. 8. D. de pact. lit. f.*

39. Amens, ſive furioſus ſit, ſive mente captus, paciſci poteſt tempore dilucidi intervalli, tunc enim non eſt furioſus.

40. Dilucidi, inquam, non ergo ſi ſaltem in conſpectu inumbratæ quietis ſit conſtitutus, uti loquitur *Celſus in l. 18. §. 1. D. de acquir. vel amitt. poſſeſſ.*

41. Quousque in pueris duret imbecillitas rationis, ex quotidianis illorum actionibus eſt dijudicandum.

42. Quod quia multis litigiis campum aperit, in rebus publicis certus terminus eſt præfixus.

43. Cæterum qui conſentire poteſt, obligatur ex conventione, niſi dolus vel metus ab eo, cum quo contrahit, adhibitus fuerit.

44. Non ergo obligationem impedit error, licet, dum ad paciſcendum accedo, præ me tulerim, quæ me cauſa ad contrahendum impellat.

45. Niſi (1.) qualitatem, in qua erravi, per modum conditionis expreſſe adjecerim. (2.) ex more gentium vel regionis, qualitas ejusmodi tanquam conditio tacita ſubintelligatur, v. g. virginitas in matrimonio *)

46. His requiſitis ceſſantibus ſibi imputet, qui mentem ſuam non ſatis aperuit.



*) Quam timide in hoc argumento olim verſati ſint Eccleſiæ Doctores & Juris conſulti, longum nimis foret heic recenſere, itaque ad futurum diſcurſum id rejicio, vide interim *Brouwer. de Jure Connubior. apud Batav. Lib. I. cap. XIIX. n. 18.-36.* & Reſponſum Philippi Melancht. quod exhibui in *Volckman. emend. P. III. XXXV. n. 4.*

47. Nam cauſa, propter quam, & perſona, cum qua contraho, ad naturam pactorum in genere nihil faciunt.

48. Et cur error meus alteri, qui ad eum nec dolo, nec culpa concurrit, magis deberet imputari, quam mihi.

49. Neque adeo diſtinguimus inter promiſſa gratuita & obligationes mutuas, neque an res adhuc integra ſit, nec ne, ſecus ac *Pufend. de off. H. & C. Lib. I. cap. IX. §. 12.* Conf. *Thomaſ. Jurispr. Div. lib. II. cap. VII. §. 39. ſeqq.*

50. Et ſi Pufend. concedit, dolum a tertio, qui non contraxit, adhibitum, non infirmare contractum, *d. l.* §. 13. cur non idem concedit in errore?

51. Quid enim ad eum, cum quo contraho, an error meus ex me ipſo, an a tertio originem ducat?

52. Dolus ejus, cum quo contraho, impedit obligationem, ſive cauſam contractui dederit, ſive in eum inciderit, contra quam *Pufend. d. l. §. 13.*

53. Ea enim differentia redolet inutilem ſubtilitatem Juris Romani, de qua dixi in *poſit. ad ff. tit. de dolo malo.*

54. Metus vel denotat ſuſpicionem, fore, ut ab altero decipiamur;

55. Vel terrorem ex gravis mali comminatione, niſi paciſci velimus, ortum.

56. Suſpicio illa oritur vel ex habitu vitioſo alterius, vel ex declaratione pravæ voluntatis circa negotium præſens.

57. Utroque caſu a contractu perfecto recedi non poteſt, ſed cautio poſtulanda eſt contra metum deceptionis.

58. Quod ſi alter mihi, quando meum prius præſtitero, illudere intendat, poſſum id, quod nondum præſtiti, retinere oppoſita exceptione non ſecuti implementi.

59. At ſi uterque alterius deceptionem metuat, conſultum eſt, rem unius penes tertium aliquem deponi, & ad implendum contractum agi.

60. Me-

Digitized by Google

60. Metus proprie dictus contractum reſcindit, ſi ſit (1.) injuſtus reſpectu inferentis.

61. Cui enim jus competit metum incutiendi, jus etiam competit omnia perſequendi, quæ metus effecit.

62. (2.) Si ſit talis, quis etiam virum conſtantem commovere poſſit ad ea ſuſcipienda, quæ alias fuiſſent omiſſa.

63. V. g. metus amittendæ vitæ, ſanitatis, integritatis membrorum, omnium vel plerorumque bonorum, &c. Vbi tamen ad temperamentum ejus, cui metus incutitur, reſpiciendum eſt.

64. (3.) Vt intentetur malum præſens.

65. Nullus enim metus excuſat, niſi malum intentatum alio modo, quam conſentiendo in negotium coactum, probabiliter evitari non potuerit.

66. At malum futurum tam in civitate, quam in ſtatu naturali infinitis modis evitari poteſt. (a)

67. (4.) Vt, quod metu geſtum eſt, ceſſante eo non ſit ratihabitum. Ita qui metu ad ducendam uxorem compellitur, eoque ceſſante cum ea congreditur, eam poſtea repudiare non poteſt.

68. Idque tam per verba, quam per facta conſenſum ſubſecutum inferentia.

69. (5.) Vt metus non a tertio, ſed ab eo, qui mecum contrahit, inferatur.

70. His requiſitis præſuppoſitis, vitiari putamus conventiones.

71. Inutilis enim ſubtilitas & cavillatio eſt opinantium: Obligationem hic ſubeſſe, quia metus conſenſum non plane tollit; eum



a) Ita cum olim diffidationes in Germania omnino tolli non poſſent, inter eorum temperamenta alia & hoc erat, ut inter denunciationem & initium violentiæ minimum triduum intercederet, vid. *diſp. noſtr. de violat. ſecurit. domeſt. th. 23. ibique alleg. Aur. Bull. cap. 17.*

eum vero, qui metum incuſſit, propter delictum obligari ad rem in continenti reſtituendam.

72. Quid autem quæſo operatur datio rei, quæ e veſtigio danti eſt reddenda, & quomodo recte exigi poteſt, quod e veſtigio danti reſtitui debet?

73. Vero ſimilior, ſed non verior eſt opinio, metu coactum firmiter obligari. Quia nempe jus naturæ dictat, pacta eſſe ſervanda.

74. Et alterum deſtitui jure metum incutiendi, non vero jure promiſſum acceptandi.

75. Imo præſumi, eum, qui metu inductus eſt, renunciaſſe juri, quod adverſus cogentem ad ſatisfactionem competebat.

76. Verum eadem lex, quæ pacta ſpontanea, ſervanda eſſe jubet, vetat metus incuſſionem.

77. Et quæ metum incutere vetat, prohibet etiam ex illa incuſſione jus acquirere.

78. Renunciatio quoque non præſumitur; & ſi expreſſe acceſſerit, perinde vitio laborat, ac pactum principale.

79. Conſenſus ergo noſter in pactis requiritur; hic vel expreſſus eſt, vel tacitus.

80. Ille declaratur verbis vel ore prolatis, vel in ſcripturam redactis.

81. Hic elicitur ex factis, quæ directo & unico (a) conſenſus declarationem inferunt, v. g. redditio chirographi. (b)

82. Hinc

(a) Quamdiu enim ulla alia facti mei intentio conjici poteſt, præter conſenſum, tamdiu me conſiſſe certo concludi nequit, maxime ſi conſenſus mihi præjudicet. Et pignoris itaque redditione remiſſio debiti non infertur.

(b) Plura ſigna conſenſum verum indicantia enumerat *Puſendorff. de Jur. N. & G. L. 4. c. 1. §. 2. ibique Hertius in notis lit. C.* item *Jo. Joach. Müller in Diſp. de officio circa ſigna inter homines recepta præter ſermonem.*

82. Hinc differt a conſenſu præſumto, qui etiam facta præſupponit, at non talia, qualia *poſit. præced.* deſcripſi.

83. Brevibus: Conſenſus præſumtus non eſt conſenſus verus ſed fictus.

84. Et fictio illa originem ſuam debet ſuperſtitioſæ ſubtilitati JCtorum Romanorum. vid. *poſit.* 4. 11. *Inſt. de oblig. quæ quaſi ex contract. naſc. ibique annotat. lit a. & b.*

85. Conſenſus ille vel purus eſt, vel ſub conditione, aut tempore ſuſpenſus.

86. De conditione, die & modo vid. *poſit. noſtr.* 6.-12. *Inſt. de teſtamentar. tutel. poſit.* 26.-52. *Inſt. de hæred. inſtit. poſit.* 95. *ſeqq. Inſt. de Legat. poſit.* 9.-24. *Inſt. de Verb. Obl.*

87. Explicatur vero conſenſus noſter vel per nos ipſos, vel mediantibus aliis.

88. Hi vel libera quodammodo poteſtate noſtro nomine agendi gaudent, & vocantur procuratores.

89. Vel ſaltem inſtrumentum repræſentant, per quod voluntas noſtra declaratur, hi nunciorum nomine veniunt.

90. Illi cum tertio contrahentes obligant mandantem, quatenus ipſe conſenſit.

91. Et ergo ſi generale & liberum mandatum datum, & ſimul mandatarius ſpecialiter inſtructus ſit, hic contra inſtructionem agens mandantem tertio, cum quo contraxit, obligat.

92. Neque tamen impedit, quo minus Dominus a mandatario damni reparationem extorquere poſſit. (*a*)

93. At

(*a*) Illuſtre Exemplum ſuppeditat hiſtoria ſeculi XIV. Mortuo Henrico VII. Imperatore, Ludovicus Bavarus & Fridericus Auſtriacus ad Imperium adſpirabant; ubi Elector Brandenb. Legatum ſuum inſtruebat, ut pro Friderico ſuffragium ferret; verum legatus mandato generali & libero, abſque quo nominem ad Electionem admitti notum eſt, munitus, Ludovicum eligebat. Quem quidem actum impugnare non audebat Elector; perfidum tamen mandatarium carceri incluſum famis ſupplicio e medio ſuſtulit.

Digitized by Google

93. At famuli noſtri aufugientes vel a nobis ejecti & nomine noſtro res nonnullas hinc inde doloſe petentes, adhuc nos obligant ad reſtitutionem, vel ſolutionem, ſi antea fidem ipſis haberi juſſerimus.

94. Tertius enim agebat ſecundum juſſum domini, fugæ vero intentionem vel ejectionem e familia ſcire non poterat.

95. Contra dominus de cautione ſuper damno a diſceſſuro inferendo, ſibi proſpicere, vel antequam ſervum ejiceret, eos, quos ipſi fidem habere juſſerat, ea de re, & ne porro quicquam diſceſſuro crederent, monere poterat. (*a*)

96. At quatenus aliquis procurator vel nuncius meus non eſt, licet talem ſe eſſe ſimulet, eatenus ex contractu ejus non obligor.

97. Imputet enim alter credulitati ſuæ, quod diligentius non inquiſiverit.

98. De quibus rebus paciſci non poſſimus, anticipatum eſt ſupra occaſione definitionis.

99. Cæterum pacta verſantur vel circa præſtationen rei, vel circa officia humanitatis in factis conſiſtentia. add. *poſit. noſtr. ad ff. pag.* 99. *ſeq.*

100. Quoad rem, vel dominium ejus, vel aliud jus circa eandem transfertur, de quibus infra *cap.* 20. *ſq.*

101. Officia humanitatis per pactum promiſſa vel gratuita ſunt, vel reciproca.

102. Illa concernunt vel cuſtodiam rei, unde depoſitum, vel expeditionem negotii, unde mandatum, vel interpoſitionem fidei ſubſidiariam, ut fidejuſſio.

103. Hæc vel pretio determinantur, vel factum aliud recipitur. Prior ſpecies vocatur locatio operarum. (*b*)

104. In

(*a*) Si abſque juſſu domini ſpeciali famulis nomine ipſius fides habita ſit, jure Saxonico Electorali ſapientiſſime & æquiſſime proſpectum eſſe monui *ad poſit.* 10. *D. de fidei inſtrum. lit. C.*

(*b*) Dicendum heic, an in eam veniant functiones ſacræ, & artes libera-

104. In depoſito res gratis cuſtodienda datur, ut deponenti, quando libuerit, reſtituatur.

105. Idque licet ad certum tempus res depoſita ante (a) ejus exiſtentiam repetatur; quia depoſitarii non intereſt, ut eam tamdiu retineat, ſed tempus in favorem ſolius deponentis adjectum eſt, qui juri ſuo pro lubitu renunciare poteſt.

106. Neque tamen ante tempus conventum repeti poteſt, ſi deponens ſimul conceſſerit uſum rei depoſitæ, tunc contractus tranſit in mutuum, ſi res fungibilis: vel in commodatum, aut aliquando in precarium, ſi res non fungibilis ſit depoſita.

107. Circa conceſſionem deponentis vero depoſitarius eadem uti indiſtincte prohibetur.

108. Idque adhuc dicendum, licet res depoſita per uſum non adeo deterioretur, neque intereſſe videatur deponentis, quo minus aliquis eam conſpiciat. Diſſentit *Pufendorff. de Jur. N. & G. Lib. V. cap. §. IV. §. ult.*

109. Vt enim taceam, hæc a nemine præter deponentem determinare poſſe.

110. Certum eſt, nunquam jus perfectum competere re aliena utendi, niſi pactum vel ſumma neceſſitas accedat.

111. Jus imperfectum vero propria autoritate & invito domino uſurpari non poteſt.

112. Cæterum re depoſita uti, eamve abnegare, furto nec æquale, nec fœdius eſt; ſecus quam *Pufend. de O. H. & C. L. I. c. XV. §. 7.*

S 113. Si-

des, Ex jure nat. & divino nihil obſtat. Simonia ad dona miraculoſa pertinet. Vorzeiten gab man den Sehern Geld, oder ſonſt etwas, wenn mann ſie conſulirte. *I. Sam. IX. 6. ſeqq.* Non obſtant quæ infra, *poſit. 128. ſeqq.* nam & ipſa temperanda ſunt. Ipſe Apoſtolus non iniquum judicat pro acceptis bonis ſpiritualibus bona temporalia præſtare, *Rom. XV. 27.*

(a) Secus ſi finito tempore, quod deponens adjecit, ipſe rem depoſitam recipere nolit, Tum enim depoſitarius eam ulterius cuſtodire non tenetur, quia hactenus ejus omnino intereſt.

113. Siquidem potiſſimam fœditatis partem in furto conſtituunt machinationes rei alienæ amovendæ adhibitæ.

114. Tanta vero fraus non ineſt retentioni & ſuppreſſioni rei, quam volente domino accepimus.

115. N. O. quod tutor non mitius puniatur, qui pupillam in ædes ſuas receptam ſtuprat, quam alius, qui ſtupri cauſa ædes tutoris ingreditur. *Pufend. d. J. N. & G. L. V. cap. IV. §. ult.*

116. Reſp. ibi utrinque eſt ſtuprum, hic vero non utrinque eſt furtum.

117. Ad ſtuprum enim non requiritur, ut puella ſit apud alios; furtum vero eſt contrectatio. i. e. amotio rei alienæ.

118. N. O. quod per furtum ſaltem jus dominii & juſtitia; per abnegationem depoſiti etiam amicitia & humanitas violetur.

119. Reſp. Sufficit, quod juſtitia hic non adeo lædatur, ac in furto.

120. Humanitas vero & amicitia tanquam juris imperfecti, nihil faciunt ad aggravandum delictum.

121. Reliqua explicuimus *poſit.* 17.-81. *Inſt. de Contract. realibus. & ad. Dig. ſuo titulo.*

122. De mandato itidem peculiari titulo egimus *ad Inſtit. Juſtin. & ad Pandectas.*

123. Fidejuſſio eſt obligatio *ſubſidiaria* pro debito alieno.

124. Unde quam maxime æquitati convenit beneficium excuſſionis.

125. Modo principis debitor ſolvendo ſit & præſens. Nam in caſum, ſi hæc deficiant, acceptus eſt fidejuſſor.

126. Arctius quoque jam principalis debitor obligari poteſt fidejuſſor, quia huic plus fidei habetur. vid. hoc argumentum latius *ad Inſt. Juſtin. & Pandectas de fidejuſſor.*

127. Porro fœminas hic excipere velle ſupervacuum eſt, cum in omni pacto requiramus conſenſum ſerium & deliberatum, qui quoties in fœminis deficit, obligatio impeditur.

128. Lo-

128. Locatio operarum ex Jure divino pro objecto habere poteſt facta omnia honeſta exceptis ſpiritualibus.

129. I. e. talibus, quæ effectum ſupernaturalem producunt, v. g. verbum Dei prædicare, & ſacramenta diſpenſare, atque olim miracula edere.

130. Neque enim facultas ea peragendi pretio redimi poteſt. *Act. IIX.* 18.-22. unde hodie Simoniæ nomen uſurpatur.

131. Neque pro expeditione aliquid mercedis nomine intervenire poteſt.

132. N. O. *I. Cor. IX.* 7.-18. nam ſuſtentandi ſunt, qui verbo præſunt, ut officio eo magis fungi queant.

133. Et hoc reſpectu admittuntur donationes in confeſſione, baptiſmo, copulatione &c. uſitatæ.

134. Excipiuntur etiam a locatione artes liberales, verum hæc aſſertio dependet ex moribus Græcis & Romanis, & notus eſt Canon philoſophicus: artes liberales quandoque fiunt ſordidæ & illiberales. Adde quæ dixi *in poſit. ad ff. de poſtulando p.* 118. *ſeqq.*

# CAP. XIIX.

## DE NATVRA ET EFFECTV JVRAMENTORVM.

I.

PER pacta jus noſtrum transferri, adeoque nos ad promiſſa præſtanda adſtringi, jam dictum eſt.

2. Cum tamen malitia promittentium tanta ſæpe ſit, ut promiſſis ſponte non ſatisfaciant, remedia quoque coactiva periculoſa ſint: hinc promiſſis varia acceſſerunt pignora.



Digitized by Google

3. Quorum fere potiſſimum eſt juramentum, ſeu (a) oppignoratio ſalutis noſtræ ſub conditione veritatis dicendæ, vel quod diximus, faciendi. Add. *Becmann Polit. Parall. cap. V. §. 8. Ejusd. Conſpect. Doctrin. Polit. cap. VI. p. 28.*

4. Cum enim, ſaluti ſuæ renunciare, & miſerrimum eſſe velle, ſtolidiſſimum ſit, hinc ſumma fides jurijurando haberi conſuevit.

5. Scil. ſupremus ſalutis noſtræ Arbiter Deus eſt, qui in juramentis propterea invocatur.

6. Temeraria vero vindictæ Divinæ provocatio procul dubio peccatum graviſſimum involvit.

7. Siquidem in aliis delictis me, quantum poſſum, a Numine abſcondo, vel certe Deum iisdem non implico.

8. At in perjurio advocatur Deus tanquam patronus mendacii mei, & fraudis protector, uno verbo tanquam inſtrumentum nequitiæ.

9. Invocatio DEi in juramento eſt vel explicita, vel implicita.

10. Illa fit, DEum teſtem vocando & vindicem, tanquam omniſcium, qui falli; & omnipotentem, cujus vindicta declinari non poſſit.

11. Quorum alterum alterum ſub ſe comprehendit.

12. Ita integrum Juramentum eſt, ſive dicatur: Das weiß GOtt / ſive: GOtt ſtraffe mich.

13. Hæc vocatur execratio, ſive indefinite fiat, ſive definite, v.g. quando creaturam depoſcimus in perniciem noſtram, ut ſi quis a Diabolo abripi, vel diſcerpi, fulmine perdi, terra deglutiri &c. velit.

14. Cum enim ſciamus, abſque ſpeciali Numinis directione creaturis tantam in nos poteſtatem non competere; eo vero

(a) Specialius ita definiri poterit; eſt invocatio Dei tanquam teſtis & vindicis ſuper veritate aſſertionis vel promiſſionis.

Digitized by Google

ro concurrente pœnam provocatam nobis imminere; DEum ſimul invocaſſe cenſemur.

15. Nimirum hoc caſu pœnam DEI determinatam in nos depoſcimus, h. m. precor, ut DEVS per has creaturas miſerum me faciat.

16. Aliquando etiam, non inſtrumentum pœnæ ſed ſubjectum paſſivum ſpeciale ejusdem determinamus.

17. Seu petimus, ut DEus non per certam rem, ſed in certa re pœnam ſuam exerat.

18. At hic modus eripiendi rem talis eſſe debet, qui non per Magiſtratum, ſed ſolum DEum obtineri poſſit.

19. V. g. ſi quis optet, ut certum membrum exareſcat; vel ſi quis per caput liberorum, Principis, per oculos amatæ &c. juret.

20. Sed hiſce juramentis per aliorum perſonas conceptis nihil amplius efficitur, quam ut ego, ſi pejerem, bonis hiſce frui non amplius velim.

21. Peto ergo, ut oculi amatæ, Princeps, &c. mihi eripiantur, non vero, ut is propterea male ſit.

22. Si enim hic ſenſus juramenti eſſet: Niſi hoc ſaxo, iratum certis perſonis DEum precor. Vanum quidem eſſet votum, ſed maxime tamen in eas injurioſum.

23. Interim hæc forſan ratio fuit, cur olim Tiberius (vid. *Alexand. ab Alexandr. Gen. Dier. L. V. c.* 10.) & poſtea Carolus *M.* (*Pufend. de J. N. & G. Lib. IV. c. II.* §. 3.) Juramentum per caput Principis prohibuerint.

24. Nolim tamen veris juramentis accenſeri ridicula illa per anſerem, platanum, canem, cepe &c. præſtita. conf. *Pufend. d. l.*

25. In illis enim ſaluti noſtræ plane non renunciamus. Add. *Scharſchmid. Exerc. XIII. ad Nov. LXXVII. c. un.*

26. Spectant tamen ejusmodi luſus ad morologias Chriſtianis ſevere interdictas. *Eph. IV. 29. ſeq. V. 4.*



Digitized by Google

27. Patet jam, ad juramentum perfectum ſufficere provocationem pœnæ divinæ, niſi verum dicamus. (a)

28. Superadduntur in judiciis ſolennitates erigendorum vel ſiniſtro pectori applicandorum digitorum, certarum item formularum &c.

29. Eo tantum fine, ut penſitatius agant homines alioquin ad rem ejusque pondus animum non advertentes. (b)

30. Mirandum vero, cum juramento ſolenni merito tanta vis attribuatur, nihil contra pendi juramenta in ornamentum & ſupplementum ſermonis quotidie adhibita.

31. Cum tamen conſiderandum ſit, actum jurandi (quia cum DEO intercedit) momentaneum eſſe & uno verbo: JURO. abſolvi. (c)

32. Mo-

(a) Variarum gentium ſolennitates juri jurando olim adhibitas collegerunt Alexand. ab Alexandr. ſupr. poſit. 23. allegatus & ad iſtum locum commentatores; Mercerus, Colerus, & Tiraquellus.

(b) Quid vero ſibi velit ſolennitas, daß ein Jude, wenn er geſchworen, mit bloßen Füßen habe auf einer Schwein-Haut und zwar auf denen Zitzen ſtehen müſſen, non percipio. Jn Sächſ. Weichbilde in fin. hæc vocatur res non neceſſaria & inepta. Eine Phantaſey. At in jure Provinciali Alemann. cap. 359. id expreſſe requiritur. Et im Richtſteige des Sächſ. Land. R. ita deſcribitur: Da muß der Jude ſtehen auf einer Schweinenhaut, die Junge hat gehabt binnen 14. Nächte, die Haut ſoll man aufſchneiden bey den Rücken, und ſie breiten auf die Zitzen, da ſoll der Jude aufſtehen barfuß, und nichts anhaben, denn ein Niederkleid, und ein hären Tuch um ſich, alſo iſt ſein Recht. Patriarchæ olim juramenta exigebant tactis eorum genitalibus. Lege deine Hand unter meine Hüffte, und ſchwere mir. Gen. XXIV, 2. ſeq. XLVII. 29. 31.

(c) Memini aliquando mihi objectum eſſe: id, quod quis agere ſe dicit, eo ipſo non peragi, & quis crederet, eſurientem vel ſitientem, quando deficiente cibo potuque vel millies ingeminat: edo, bibo, eo ipſo edere vel bibere; vel eum, qui dicit: cano, ſalto, canere vel ſaltare? Sed operoſa reſponſione opus non eſt, quandoquidem omnes iſti actus verbo non peraguntur, uti actus jurandi, in quo verbum *juro* idem valet, ac: DEum teſtem voco.

Digitized by Google

32. Modo tamen aliquis præ ſe ferat intentionem jurandi.

33. Quæ ſive vera, ſive ſimulata ſit, non intereſt, modo ſit ſpontanea: Nam de juramento per metum ſummum exorto idem dicendum, quod de ejusmodi pacto.

34. Non ergo jurat, qui verba concepta juramenti in prima perſona alteri prælegit; hic enim præ ſe non fert jurandi intentionem.

35. Invocatio DEI ſive veri, ſive falſi, valida eſt, modo jurans falſum Deum pro vero habeat, vel habere ſe ſimulet.

36. Jurans enim ſub quocunque ſpeciali conceptu generalem Numinis notionem ante oculos habuit.

37. Et ita pejerans reverentiam Numinis, quantum in ſe fuit, violavit, non ſecus ac in Regem injurius eſt, qui Regem percuſſurus ex errore alium percurit.

38. Dubitatum vero fuit, an Chriſtianus infideli Juramentum per falſum Deum deferre poſſit? *Grot. L. II. c. XIII. §. 12. ibique Ziegl. in Not.*

39. Recte tamen id affirmatur, quamvis Chriſtianus, Ethnico ita deferente per falſos Deos jurare regulariter non poſſit,

40. Scil. niſi prius proteſtetur, ſe Deos illorum nihili æſtimare, neque vindictam iis tribuere, ſed longe alium Deum eſſe, quem colat.

41. Omne juramentum præſupponit aliud negotium, ſive præteritum, ſive futurum.

42. *Ibi* quæritur, an aliquid ita factum ſit, nec ne? & vocatur juramentum aſſertorium, v. g. juramentum litis deciſorium, a parte adverſa delatum; juramentum teſtium, &c.

43. Et iſtud pro objecto habere poteſt delicta atrociſſima, quorum veritas ſaltem indagatur ad pœnam infligendam.

44. *Heic* vero nos adſtringimus ad aliquid faciendum, quod vocant promiſſorium, v. g. Juramenta officialium, initio muneris ſuſcepti præſtita, cautiones juratoriæ, &c. Ubi videmus,

ob-

obligationem non demum produci per juramentum, ſed eam, quæ abſque eo jam affuiſſet, magis firmari. Add. *Pufend. de J. N. & G. L. IV. c. II. §. 14. ibique Hert. in notis.*

45. Ad quodcunqne ergo non poteram obligari abſque juramento, ad illud nec juramentum adſtringit.

46. Neque enim teſtari poſſum, me velle ſervare id, quod ſervare plane non poſſum: & fruſtra quæritur de voluntate, antequam conſtet de potentia.

47. Quæcunque igitur promiſſio invalida eſt propter juris prohibitionem, ea etiam jurata non valet.

48. Sive prohibitio veniat ex jure divino, ſive humano. Nam & humanum imperium ſuſtinetur imperio divino. *Rom. XIII. 1. I. Petr. II. 13. ſeq.*

49. Itaque juramentum, ſuper re illicita præſtitum, nunquam obligat, & ſupervacaneum eſt apparens ejus implementum.

50. Interpretatio quoque juramentorum talis eſſe debet, ne ad illicita extendatur, v. g. ſi jurato, quicquid aliquis petierit, promittatur, & ipſe homicidium vel adulterium ſibi permitti petat.

51. At, quod illicitum non eſt, licet impediat majus bonum, ſervandum eſt, v. g. ſi jurem, me nunquam te ad hilaria mea invitaturum, nec tuis interfuturum eſſe. vid. *Thomaſ. Juriſpr. div. L. II. cap. 9.*

52. Cæterum explicatio juramenti talis eſſe debet, quam intendere ſe profitetur uterque, inprimis vero is, cui juratur.

53. Et omnis cavillatio hic exulare debet, cum DEus tanquam teſtis ſinceræ mentis invocetur.

54. Denique notandum, juramentum non eſſe promiſſionem DEO factam; Quem enim teſtem voco, ei nihil promitto.

55. Et quamvis diverſa ſit teſtimonii divini & humani ratio, quod DEus nec viſibilis præſentiæ nobis copiam, nec modis in ſenſus incurrentibus judici homini fidem faciat, ſed ipſe judicem

&

Digitized by Google

& perfidiæ vindicem ſe conſtituat; nulla tamen promiſſio inde elicitur.

56. Perfidia enim non ad Deum, ſed ad eum, qui juramentum exigit, refertur. Et quando juraturus admonetur, ne DEum falli neſcium fallere præſumat, non intelligitur deceptio ratione promiſſi, ſed veritatis occultatio, ad eamque tremendi & juſtiſſimi Numinis abuſus.

57. Perjurium itaque ſeparatum adverſus Deum crimen conſtituit, licet jurans DEO nihil promiſerit. add. *Vitriar. Inſtit. Jur. Nat. & Gent. L. II. cap. XIII. quæſt. 12. & 22.*

# CAP. XIX.

## DE JURE CIRCA SERMONEM ET DE INTERPRETATIONE.

I.

PActorum, jurium jurandorum, & omnis vitæ ſocialis inſtrumentum eſt ſermo. vid. *ſupr. cap. IX. poſit. 7. ſeqq.*

2. Nempe homo hominis intentionem non penetrat, niſi per ſigna externa.

3. Cum vero res & actiones fere infinitæ ſint, ſigna varietati iſti ſufficientia aliunde depromi non poſſunt, niſi ex diverſitate vocis, communi conſenſu excogitata. Tonorum enim, vel flexionis manuum diverſitas a nonnullis excogitata, nimis jejuna atque tarda eſt, & perceptu difficilis, quam ut huic inſtituto ſufficiat. vid. *Jo. Aventini Abacus, novæ Annalium Bojorum editioni annexus.*

4. Natura enim nulla vox articulata certam rem denotat,



Digitized by Google

ſed ex arbitraria impoſitione. Neque ſolam naturam absque impoſitione humana ſapit *Helmontii Alphabetum naturæ.*

5. Et ita ſermo eſt vox articulata, exprimendis rebus & actionibus inſerviens.

6. Hinc ſtatim patet, applicationem vocis ad rem perpetuo eandem eſſe debere.

7. Niſi qua diverſam applicationem percipit ille, ad quem loquor, cuique jus intelligendi competit.

8. Et, ſi mutatio ejus ſingulis competeret, uſum lingvæ inanem futurum.

9. Patet quoqve, criticam curioſam, quæ præter intellectum verborum neceſſarium impenditur, eſſe inutilem.

10. Et ita ſemper loquendum eſſe, ut ab aliis quam facillime intelligamur.

11. Abſtinendum itaque a verbis obſoletis & noviter confictis, & inter duo vocabula eandem rem denotantia adhibendum id, quod frequentius eſt.

12. Qui enim loquitur & intelligi non vult, ille ſine fine agit, adeoque ſtolide: neque prudentius agunt, qui difficulter intelligi cupiunt, quod enim per pauca fieri poteſt, non debet fieri per plura; & ſapiens per ambages non tendit ad metam, quo recta via incedere licet.

13. Hactenus de convenientia verborum cum re; ſequitur convenientia ſermonis cum animo.

14. De hac regulas ſpeciales formare ſupervacuum eſt; applicabimus ſaltem præcepta generalia.

15. Quoties alter per ſermonem meum injuſte læditur, toties cogi poſſum ad ſilentium vel damni per ſermonem dati reparationem.

16. Vt vero loquatur aliquis, cogi non poteſt regulariter, quia eſt officium affirmativum.

17. Niſi anteceſſerit pactum vel principis voluntas.

18. Ex-

Digitized by Google

18. Extrema vero neceſſitas nullam hic coactionem ſuppeditare poteſt.

19. Neque enim in continenti conſtat, an alter rei, de qua quæritur, notitiam habeat?

20. Et ſi haberet, ſermo per violentiam non æque eripi vel extorqueri poteſt, (a) ac res aliæ.

21. Cum ergo non ſemper obligatus ſim ad loquendum, neque ſemper obligabor ad verum dicendum.

22. Sed tum demum ſermo cum mente convenire debet, ſi ex ejus diſcrepantia jus alterius lædatur.

23. Valde vero falluntur ii, qui jus iſtud quærunt in potentia phyſica ſermonem aliorum intelligendi.

24. Et adeo per omne falſiloquium naturæ hominis rationali præjudicari putant.

25. Atqui a potentia phyſica ad facultatem moralem non valere conſequentiam, ſupra oſtenſum eſt, & infinita exempla demonſtrant.

26. Potius ergo juris iſtius fundamentum facimus tranquillitatem communem ſeu ſocialitatem:

27. Quoties hæc non læditur, ſermo ab animo diſcrepans mendacium vocari nequit.

28. Hinc notanter expreſſit Deus falſum non eſſe dicendum CONTRA proximum noſtrum.

29. Et ita fruſtra impugnatur falſiloquium textibus ſacris mendacia prohibentibus.

30. Mendacii enim conceptus involvit læſionem juris alterius.

31. Imo obligamur quandoque ad falſiloquium, ſi abſque eo utilitas aliorum non obtineretur.

32. V. gr. ſi innocens protegi, iratus placari, pertinaciter



(a) Nempe vis extrema non adhibetur ad vindictam, ſed ad ſublevandam indigentiam præſentem.

ter negans delictum ad confeſſionem, vel faſtidioſus ad medicamenta capienda moveri alio modo non poſſit.

33. Nam qui prodeſſe vult & debet, id non eo modo facere tenetur, quo finem ſuum non erat obtenturus.

34. Porro ſi importuna curioſitas aliorum, conſilia mea vel reipubl. ſine jure neque ad bonum finem indagantium alias amoveri nequeat. *Conf. Alberti Comp. Jur. Nat. L. II. cap. VI. §. 21.* & *Becman. Lin. Moral. c. XV. §. 15.*

35. Ita & hoſtem fallere licitum eſt.

36. Modo hoc non fiat in promiſſis hoſti factis. Intuitu promiſſi enim hoſtis eſſe deſinit, & jura ſocialitatis abrupta recuperat.

37. Vnde hæreticis quoque, ut maxime hoſtes habeantur, fidem ſervandam eſſe ratio dictitat.

38. Ita aliud ſibi nomen imponere non indiſtincte prohibitum eſt. *Conf. l. un. C. de mutat. nom.*

39. At imperanti ullo modo reticere veritatem indiſtincte prohibitum eſt, niſi ultra humanum modum ſæviat.

40. Et adeo veritas, quæ legibus divinis inculcatur, eſt declaratio animi noſtri per verba animo congrua facta ei, qui iſtam ex jure perfecto vel imperfecto petere poteſt.

41. Mendacium eſt diſcrepantia verborum ab animo adhibita erga eum, cui jus eſt, animum noſtrum cognoſcendi.

42. Denique cum ſæpe eveniet, ut verba mea præter intentionem animo meo ſatis exprimendo primo intuitu non ſufficiant, adhibenda erit interpretatio.

43. Ea ſumitur vel pro explicatione verborum, vel pro explicatione mentis.

44. Prior huc non ſpectat, & vocatur interpretatio grammatica.

45. Poſterior vocatur Logica (a) ſeu doctrinalis, & definitur

(a) Aliud eſt veritas Logica, aliud interpretatio Logica.

nitur explicatio mentis alienæ dubiæ ex conjecturis veroſimilibus.

46. Ejus homonyma ſunt interpretatio authentica & uſualis. Neutra enim harum ſpecierum proprie ad interpretationem pertinet.

47. Etenim uſualis eſt, quando v. g. legi talis ſenſus tribuitur, quem praxis ſervat, utut ille genuinus non ſit, & contrarium potius ex regulis bonæ interpretationis oſtendi poſſit.

48. Authentica itidem non ad regulas adſtringitur, & adeo magis eſt novæ voluntatis declaratio, quam priſtinæ declarationis explicatio.

49. Doctrinalis enim interpretatio ſemper cedere debet authenticæ.

50. Modo authentica, ſi doctrinali contrarietur, fiat in negotiis, quæ loquentem non obligant, v. g. Legislatione, teſtamentis, &c.

51. Nam in negotiis loquentem obligantibus interpretatio authentica plane ceſſat.

52. Et, ſi quis hoc caſu mentem ſuam aliter explicari velit, quam doctrinalis interpretatio admittit, non interpretatio erit, ſed cavillatio.

53. Cum autem interpretatio doctrinalis fiat ex conjecturis veroſimilibus; patet, eam nunquam niti demonſtratione apodictica.

54. Abſurdum ergo erit in eos debacchari, qui ſtatim interpreti credere nolunt, ſed aliam explicationem, non multo minus probabilem proferunt.

55. Sed abſurdum quoque eſt, veroſimili opinioni refragari, niſi fundamenta in contrarium adſint.

56. Tunc enim verum eſt proverbium: Vnum ſtultum plus rejicere poſſe, quam decem ſapientes confirmare, & contra negantem principia non eſſe diſputandum.

57. Conjecturæ vero ſimiles certis legibus includi ſemper



Digitized by Google

non poſſunt, ſed maximam partem ingenii velocitas abſolvit.

58. Ea vero non modo apud diverſos homines, ſed & apud eundem pro diverſitate temporis variat.

59. Potiores tamen regulæ ſunt: (1.) reſpiciendum ad loquentem ejusque conditionem & affectus.

60. Ita ſincerus Theologus de amore loquens aliter intelligendus, ac impurus ſcortator.

61. Ita JCtus de genere & ſpecie loquens aliter intelligendus, ac Logicus.

62. Ita Medicus de Geranio loquens aliter intelligendus, ac Mechanicus.

63. (2.) Reſpiciendum ad materiam ſubſtratam.

64. Ita vox proprii vel pro eo ſumitur, quod a nobis productum eſt, vel pro eo, cujus dominium acquiſivimus.

65. Adeoque cavillatio erat uxoris, quæ ut marito dubium, an *ſui* eſſent liberi, eximeret, eosdem ipſi donabat.

66. Et jocus eſt Oweni dicentis: Carmina Paulus emit, recitat *ſua* carmina Paulus.

67. Reſpiciendum ad ea, quæ alibi dixit loquens, cum nemo contradicere ſibi præſumatur.

68. Sive autem loco conjuncta ſunt, ſive origine, nihil intereſt.

69. (4.) Inter duos ſignificatus locutionis ille accipiendus, qui nullam involvit abſurditatem.

70. Ita qui trium dierum inducias paciſcitur, dies civiles intelligit, non naturales. Aliud exemplum de Alberto, reditum incolumem ab Hattone Epiſcopo ſibi ſtipulante profert *Aventin. Annal. Bojor. Lib. IV. c. 21. n. 15.*

71. Ita Rex tangi ſe prohibens exemiſſe cenſetur caſum, ſi in flumen ceciderit. *Rob. Knox.* Beſchreib. der Inſul *Ceylon. cap. 3.* & ex eo *Thomaſ. cogitat. menſtr. ann.* 1689. *p.* 591. *ſeq.*

72. Brevibus; Reſpiciendum ſemper ad rationem & intentionem dicentis, indeque verba extendenda vel reſtringenda.

73. Et

Digitized by Google

73. Et huc collimant regulæ de interpretatione extenſiva & reſtrictiva propoſitæ *poſit.* 18. *ſeqq. Inſt. de J. & Jur.* (*a*)

74. Quod ſi vero contrariæ ſint ejusdem aſſertiones, vel aperte ſibi contradicunt, vel ſaltem ob certam circumſtantiam ſimul obſervari non poſſunt.

75. Illo caſu vel obligari voluit loquens, vel non.

76. Si obligari voluit, prior voluntas præfertur poſteriori, ob jus alteri quæſitum.

77. Si voluerit, ut in legislatione & teſtamentis, voluntas poſterior prævalet priori.

78. Hoc caſu Lex arctius obligans præfertur laxiori. (*b*)

79. Ita permiſſio, imo & præceptum cedit prohibitioni, niſi præceptum ſit ſpeciale, prohibitio vero generalis.

80. Obligatio imperfecta cedit perfectæ.

81. Obligationum utrinque perfectarum antiquior præfertur noviori.

82. Niſi noviori aliud vinculum licet imperfecti iuris accedat. Nam obligatio duplex (*c*) præfertur ſimplici, etiam antiquiori.

83. Inter utrinque imperfectas lex beneficentiæ cedit legi gratitudinis.

84. Gratitudo erga perſonas arctius conjunctas præfertur gratitudini erga alias.

85. Lex

(*a*) Huc pertinet regula de favorabilibus extendendis & odioſis reſtringendis. vid. Thomaſ.

(*b*) Subordinationem iſtam officiorum, quæ ſimul fieri non poſſunt, ſapienter & eleganter inſtituit, atque in tabula repræſentat Robertus Scharrock *de officiis ſecundum Jus Naturæ*, *cap. XII.*

(*c*) Scil. ex lege, non ex pacto. Item ſi ſaltem alterutra ex lege deſcendat, v. g. filius adultus, qui ſibi de victu nondum proſpicere poteſt, potius deſerendus, quam tenerioris ætatis. Creditori pauperi licet noviori prius ſolvendum, quam diviti antiquiori.

Digitized by Google

85. Lex inferioris poteſtatis cedit legi ſuperioris. Licet obligatio erga illam ſit antiquior.

86. Lex ſpecialis præfertur generaliori.

87. Præſtatio magis neceſſaria, utilis vel digna præfertur minus neceſſariæ &c.

88. De quibus omnibus latius Thomaſius *Jurisp. Div. L. II. c.* 12.

# CAP. XX.
## DE
# JVRE CIRCA RES.

1.

HOmo, præſtantiſſima creaturarum periret, niſi rebus extrinſece aſſumtis uteretur.

2. Res iſtæ etiam uſui humano non applicatæ nihilominus pereunt.

3. At Deus, dum creavit hominem auxiliis externis indigentem, noluit eum fruſtra perire.

4. Voluit ergo, ut uteretur creaturis. Et voluiſſe id ſignificavit in revelatione per ſacras literas facta. *Gen. I.* 26. 30.

5. Hancque conceſſionem extendit ad animalia interficienda. *Gen. IX.* 1. *ſeqq.*

6. Dummodo eorum interitus faciat ad noxam avertendam vel commodum hominis promovendum.

7. Alias vel minimi vermiculi deſtructio propterea tantum ſuſcepta, ut cruciatuum adſpectu delectemur, deſpectum creatoris involvit. Diximus ſupra *cap. VI. poſit.* 17. *ſeqq.*

8. Por-

Digitized by Google

8. Porro omnes homines, utpote natura æquales æquali jure gaudent rebus creatis utendi.

9. Hoc jus vocatur communio negativa, quia negat & removet omne dominium ſeu excluſionem ullius hominis ab uſu rerum, eidemque opponitur communio poſitiva, ſive commune dominium, de quo dixi *ad Pand. p.* 64.

10. Niſi quod res apprehenſa & uſibus meis in continenti applicanda, v. g. pomum decerptum eripi mihi non potuerit ab aliis; Sed hoc jus momentaneum dominii nomen non meretur, qvia res futuris uſibus non aſſervatur.

11. Et communio iſta procul dubio fuit & fuiſſet perpetuo in ſtatu integro, ob ceſſantem uſus inſufficientiam & diſſidii occaſionem.

12. Fuit etiam aliquandiu poſt lapſum in rebus immobilibus, & fructibus ſponte provenientibus.

13. Quæ vero inter primos Chriſtianos fuit, *Act. IV, 32. ſeqq.* poſitiva magis eſt, quia gentiles excludebat.

14. Früſtra ergo fundamentum dominii in imagine divina hominibus impreſſa quæritur, & jus dominandi *Gen. I. 28.* non protinus infert dominium.

15. Qvippe eximia committitur contradictio & dominium cum jure utendi confunditur.

16. Nam dominium conſiſtit in jure excludendi certos homines a re aliqua.

17. Imago vero divina omnibus hominibus æqualiter competit.

18. Æquale igitur jus omnium eſſet, & nulla excluſio, conſequenter nullum dominium.

19. Ita Adamus ſolus nondum habebat dominium, quia nemo erat, qui excludi potuiſſet. (a)

U 20. Non

(a) Diſſentit *Hertius in annotatis ad Pufend. de J. N. & G. Lib. 4. cap. 4. §. 3.* quid enim; ait, fiet de dominio DEI, ſi hæc hypotheſis vera eſſet. Reſpondeo: non opus eſt, ut liberrimum & eminentiſſimum Jus DEO

20. Non Deus, cujus reſpectu non niſi precario poſſidemus.

21. Non beſtiæ, quippe omnis juris incapaces.

22. Qvo minus tamen remaneret communio negativa, obſtabat partim ſocordia hominum, partim prodigalitas.

23. Scilicet terra poſt maledictionem divinam res maxime neceſſarias non profert ſine accedente cultura.

24. Culturæ vero pauciores incumberent, ſi promiſcua rebus omnibus utendi facultas concederetur. (a)

25. Et jurgia denique & bella perpetua enaſcerentur, ſi res non omnibus æque largum uſum præſtaret.

26. Ab ea igitur æqvalitate recedendum erat per pacta, (b) qvibus cuilibet aſſignabatur id, qvod ejus cultura producebatur.

27. Res vero jam exiſtentes, qvatenus vel uſum non ſufficientem vel ſaltem diſſidii cauſam ſuppeditabant, per diviſionem in dominium ibant.

28. Atqve uſum inexhauſtum præbebant ſine cauſa diſſidii, in primæva communione relinquebantur.

29. Ta-

competens *Dominii* vocabulo præciſe inſigniamus. Quatenus vero iſtud tanquam dominium concipimus, non alio modo comprehendimus, quam facultatem ſummam & independentem, homines a rebus creatis excludendi, unde toties dicitur, homines rerum creatarum ne commodatarios quidem eſſe, ſed precarios detentores. Eoque pertinent, quæ habentur *Pſalm. L. 8. 9. 10. 11. 12.*

(a) Eleganter *Selden. ad Grot. Lib. II. C. II. p. 95. Liber homo nihil alterius gratia facit temere: ſuum ergo eſſe debet, cujus curam habet: Alterius gratia fruſtra laborare ſervile eſt, & querelas ponit.* Quemadmodum vero hoc univerſale non eſt, ita inde non ſequuntur, quæ idem tradit *ibidem pag. 94.* Brevibus: culturæ voluptati dediti non incumberent, quippe qui ab omni opera moleſta abhorrent; nec ambitioſi, quibus ejusmodi labor vilis nimis atque indecorus videtur; non avari, qui quævis bona aliis invident, & tum demum induſtriam exercent, quando proprii commodi ratio eos invitat.

(b) Hoc iterum negat Hertius *ad Puſendorff. Lib. IV. cap. 4.* §. 4. Sed ei ſatis fit ex *poſit. w. 14. - 18. h. cap.*

29. Talia hodieqve ſunt calor & lumen ſolis, (a) vaſtus oceanus univerſalis, quatenus a littoribus remotior eſt.

30. Non autem maria particularia & partes oceani univerſalis, quæ littoribus ſunt proximiores. (b) *Puſend. de J. N. & G. Lib. IV. cap. V. §. 9. ſeqq.*

31. Qua diſtinctione ſalva erit opinio Grotii dominium maris in favorem Belgarum (c) contra Luſitanos negantis *in Tract. de Mari libero.*

32. Et opinio quoque Seldeni in favorem Anglorum adſtruentis *in mari clauſo*, cui ſubſcripſit *Strauch. in differt. de Imperio Maris*, quæ inter ejus *diſſertationes Academicas quinque* primum locum obtinet. adde, quæ notavit *Hertius ad Puſend. de J. N. & G. Lib. IV. cap. 5. §. 5.*

33. Reliquæ dominio ſucceſſive ſunt ſubjectæ, prout ob auctum in dies genus humanum uſus earum exhauriri cœpit.

34. Et hoc factum per occupationem, quia novæ diviſionis inſtitutio erat impoſſibilis.

35. Totum proceſſum deſcribit Hermogenianus in *l. 5. de J. & J.* interprete Hubero *in digreſſion. P. I. L. I. c. XI. §. 4.*

36. Patet ex dictis inconvenientia aſſertionis, Europam,



(a) Item ventus, quantum ad jus fruendi, non vero jus intercipiendi. vid. *Hert. annotat. ad Puſendorff. Lib. IV. cap. 5. §. 2.* idemque deprehendimus in *l. ult. §. 1. C. de Servitut.* de cujus uſu hodierno dixi *ad poſit. 68. Inſt. de Servit. lit. f.* Neque aliud de calore & lumine Solis dicendum, quamvis forte diverſam ſententiam perſvadere alicui poſſint ſervitus luminum & reſtrictio facultatis extruendi molendina.

(b) Quanta vero requiratur proximitas inter interpretes non conſtat: aliis ſexaginta, aliis centum milliaria, aliis multo ſtrictius ſpatium conſtituentibus. vid. *Hertius ad Puſendorff. Lib. IV. cap. 5. §. 8.*

(c) Quam moderate & circumſpecte Grotius in hac controverſia ſe congeſſerit, ex ipſius Epiſtola DCCLXV. ad Ludovicum Camerarium: Dauaulius ipſe puto, jam Hamburgi eſt, vectus Anglica nave quod argumentum adjicere Seldenus potuerit ad ſua de maris Dominio.

Aſiam, Africam tribus Noachi filiis aſſignatam vel Caino immobilia, Abeli mobilia fuiſſe conceſſa.

37. Patet etiam, dominium primario non conſiſtere in facultate utendi, aut libere diſponendi, ſed in facultate alios excludendi, atque adeo rem ab aliis poſſeſſam vindicandi, ſeqve contra alios tanquam dominum defendendi. Dominium enim & proprietas Synonima ſunt. add. *poſit.* 76. - 90. *Inſt. de Jure Rer.*

38. Domino tamen regulariter uſus rei liberrimus competit.

39. Etiamſi eadem abutatur. Quia omnes alii a jure contradicendi excluduntur.

40. Princeps tamen in Republ. moderari debet dominia privata, ne qvid Reſpubl. ex eorum abuſu detrimenti capiat.

41. Quilibet enim civis jus in perſonam & bona ſua arbitrio Reipubl. ad commodum publicum attemperandum ſubjecit.

42. Dominus etiam jus utendi omnigenum vel circumſcriptum in alios transferre poteſt retenta proprietate.

43. Qvæ translatio, æſtimanda eſt ex verbis conceſſionis.

44. Et fit vel ad bene placitum concedentis, vel ad certum tempus, vel ad vitam accipientis.

45. Illa plerumque gratuita eſt, & vocatur precarium.

46. In

Pontanus, ſi de me benigne locutus eſt, ut ſcribis, neque enim librum vidi, fecit hoc magis pro amicitia inter nos pervetere, quam pro meis meritis. Fuit enim meum opus de mari libero optimo ſcriptum in patriam animo, ſed ætate iuvenili. Nunc & in Dania audio reſponderi Seldeno, puto non ut diſputetur, an mare in jus proprium cujusquam poſſit concedere, ſed quanta cuique pars ceſſura ſit. Forte & Suedi in ea poſitione aliquid reperient ſibi utile ad Baldicum, Finnicum, Bothnicum mare vindicandum. Iis ne vel imprudens adveror, intra ſilentium me contineo. ἀκίνδυνον γάρ ἐςι τῆς σιγῆς γέρας. Etiam Gothofredo, qui hic eſt, fratris ſui librum eo de argumento afferenti idem reſpondi, quod Angliæ legatis de Seldeno percunctantibus: probari mihi eruditionem ſcriptorum. Digna eſſe opera ingeniis excitatis ac ſublimibus &c.

46. In quo jus Romanum latæ ſaltem culpæ præſtationem exigit, *l.* 8. §. 3. *de precar.* cujus æqvitatem examinavi *poſit.* 3. - 6. *Dig. de precar.*

47. Translatio uſus ad certum tempus vel gratis fit, vel mercede per annos determinata.

48. Hæc locatio vocatur, illa commodatum, quod ultra uſum expreſſe conceſſum non eſt extendendum.

49. Quod enim commodatario jus utendi re competat, id venit ex voluntate commodantis.

50. Vſum vero certum concedens, videtur alios uſus prohibere.

51. Qvod ſi ſuperveniat indigentia domini non præviſa, res commodata etiam ante tempus conventum eidem eſt reſtituenda.

52. Ad hunc enim caſum conceſſio commodantis ſe non extendebat.

53. Et ſolicite cuſtodienda res commodata, ne per culpam poſſeſſoris pereat.

54. Si autem perierit citra culpam, damnum domino pendendum non eſt, licet apud dominum non æque periiſſet.

55. Nam caſus regulariter ad dominum ſpectat.

56. Neque ratio adeſt, cur commodatarius obligetur, ſi culpa ejus abſit; ceſſat enim imputatio.

57. Licet enim res non periiſſet, niſi apud ipſum fuiſſet: Id tamen eſt pars beneficii, quod commodatario uſus concedatur ſine obligatione ad caſum fortuitum præſtandum.

58. Et nimis durum eſſet, pro uſu tantillo ad univerſum rei perentæ pretium teneri.

59. Niſi tamen damni fatalis præſtationem expreſſe receperit commodatarius, tunc enim ex conſenſu obligatur.

60. Locatio requirit proportionem inter uſum rei & mercedem.



Digitized by Google

61. Vtque uſus ſecurus ſit & ſufficiens ad finem tempore initi contractus deſtinatum.

62. Quod ſi vero ſterilitas non omnino inſolita minuerit vel interceperit fructus adhuc pendentes, ex penſione remittitur.

63. Neque ſi caſus inopinatus abſumſerit fructus a corpore, unde provenerunt, jam ſeparatos, qui vel jam in horreum invecti ſunt, vel invehi commode potuerunt.

64. Horum enim dominium plene acquiſitum eſt conductori, unde hic ſentit caſum, vid. omnino *poſit.* 50.-58. *Dig. Locati.*

65. At caſus omnino inſolitus in fructibus pendentibus contingens remiſſionem parit.

66. Conceſſio ad vitam accipientis Jure Romano vocatur uſusfructus, uſus &c.

67. Qui regulariter ſunt gratuiti, vel certe uno pretio absque temporis proportione determinantur.

68. Nunquam vero licebit uſufructuario in uſu rei excedere officium boni patrisfam. in rebus propriis.

69. Neque rem ita mutare, ut priſtinis uſibus adhiberi non poſſit, quod vocant faciem fundi mutare. Ea tamen in re nimis ſubtilis videtur Neratius in *l.* 61. *D. de Uſufructu.*

70. Reliqua legibus Romanis introducta ſuis locis tractavimus. vid. *poſit. ad Inſt. & Dig. de Uſufr.*

71. Poſſunt & aliæ juris noſtri circa res particulæ in alios transferri, nempe ſervitus & jus pignoris vel hypothecæ.

72. Servitus eſt jus in re aliena, qua tali, conſtitutum ad alterius utilitatem.

73. Jure Romano accedebat requiſitum, ut dominus rei ſervientis nihil faceret, (*a*) ſed vel aliqvid pateretur, vel omitteret,

(*a*) Forte quod non conſiderarent, actionem Phyſicam non ex libera voluntate, ſed obligatione ſuſceptam magis ad paſſionem moralem referendam eſſe.

ret. *l. 15. de Servit.* verum neqve uſus in hac theſi conſtans eſt. vid. qvæ notavi *ad poſit.* 8. *Inſt. de Servitut. lit. b.* conf. Diſſertationes *Dn. Titii de Servitute faciendi*, & *Dn. Ephraim Gerhardi de ſervitutibus in faciendo conſiſtentibus.*

74. Pignus conſiſtit in conceſſa poſſeſſione & retentione rei in ſecuritatem crediti.

75. Non ergo in pignore transfertur uſus, niſi oppignorans eum expreſſe concedat.

76. Hanc conceſſionem vocant antichreſin; ubi videndum, ne uſus rei oppignoratæ nimis excedat uſum pecuniæ mutuo datæ.

77. Hypotheca continet ſolam obligationem rei absque translatione poſſeſſionis.

78. Cæterum ubi dominus nihil juris in re ſua alteri conceſſit, nemo dominium ejus turbare vel impedire poteſt.

79. Hinc pati teneor, ut quivis re ſua quiete fruatur.

80. Neqve vi vel fraude eandem ipſi intervertere, eripere vel corrumpere poſſunt.

81. Et, ſi absqve voluntate domini ad me pervenerit, videndum, an illud ſine crimine factum ſit, an injuria mea.

82. Prius contingit, ſi rem bona fide & regulariter juſto titulo præcedente acceperim.

83. Bona fides eſt opinio, me eſſe dominum; cum tamen non ſim.

84. Juſtus titulus eſt cauſa, propter qvam dominium ceteris paribus in me tranſire poteſt.

85. V. g. emtio, donatio, permutatio, legatum, mutuum &c.

86. Heic, ſi reſciverit bonæ fidei poſſeſſor, rem eſſe alienam, tenetur, quantum in ſe eſt, efficere, ut res in veri domini poteſtatem redeat.

87. Sufficit vero, ſi domino denunciet, & patiatur, eum rem ſuam recipere.

88. Non

88. Non ergo ſuis impenſis reſtituere tenetur; Debet enim tantum permittere, ut dominus jura ſua exerceat.

89. Neque tenetur penſare fructus, quos neglexit, vel absque utilitate conſumſit aut amiſit.

90. Qvia dominum excludebat præter intentionem.

91. Neque ergo tenetur ulterius, quam quatenus excluſione fruebatur.

92. Hoc eſt, qvod dicunt, neminem debere locupletari cum damno alterius.

93. Idem dicendum, ſi res ipſa penes bonæ fidei poſſeſſorem eſſe deſierit. vid. *Pufend. de Off. hom. & Civ. L. I. c. XIII.*

94. Vnde ſi rem alienaverit, nihil reſtituit, niſi quod ultra pretium, quod dedi, accepit.

95. At ſi rem adhuc habeat, non poteſt pretii tertio dati reſtitutionem a domino vindicante poſtulare.

96. Dominus enim rem jure ſuo vindicat, ubicunque repererit.

97. Nec obſtat, quod bonæ fidei emtor pretium amittens, damnum præter meritum & culpam patiatur.

98. Nam regreſſus ipſi competit contra venditorem ad evictionem præſtandam.

99. Et, ſi ab ignoto vel abſente emerit, ſibi imputet, quod cautius mercatus non ſit.

100. Imo demus, ementem damnum pati præter culpam? pateretur id etiam dominus, ſi ad pretii reſtitutionem obligaretur.

101. Major autem iniquitas eſſet, ſi damnum vero domino incumberet, quam ſi bonæ fidei poſſeſſori.

102. Vnicus tamen caſus eſt, qvo æqvitas dominum ad pretium bonæ fidei poſſeſſori reſtituendum adſtringit, nimirum ſi quis rem animo reſtituendi domino pretio viliori emerit.

103. Mo-

Digitized by Google

103. Modo res alio modo ad dominium probabiliter non rediiſſet.

104. Et modo redimens, ſimul ac poſſit, declaret, ſe eam animo reſtituendi emiſſe.

105. At is, ad quem res aliena per injuriam pervenit, tenetur ad reſtitutionem tam rei, licet caſu peremtæ, quam omnis lucri ceſſantis.

106. Licet iſtud non perceperit malæ fidei poſſeſſor; modo certum ſit, dominum id honeſte percipere potuiſſe.

107. Nam in malæ fidei poſſeſſore non tantum compenſandą eſt indebita fruitio, ſed & doloſa intervertendi intentio punienda.

# CAP. XXI.

## DE MODIS PRODVCENDI DOMINIVM.

I.

MOdi acquirendi vel producunt & quaſi generant dominium, qui vocantur originarii.

2. Vel ilud jam natum transferunt, qui vocantur derivativi, de his *cap. ſeq.*

3. Illi ſunt: occupatio, acceſſio, uſucapio.

4. Occupatio tribuit dominium rei, quæ nullius eſt, mediante ſola apprehenſione.

5. Dico: Quæ nullius eſt. Nam ſi alterius ſit, occupatio ejus eſt furtum vel rapina.

6. Apprehenſio in mobilibus fit dimotione a loco vel appoſitione cuſtodis.

7. In immobilibus fit ingreſſu cum animo ſibi tenendi.

8. An etiam ſignorum impreſſione? Ita puto, ſi res in mea poteſtate fuerit, ſed loco in continenti moveri, & actualiter poſſideri non potuerit, v. g. ſignatio arborum. &c.

9. Adderem etiam: ſi res ſe ipſam non moveat, unde animalia pro occupatis non haberem, ſi ea ex momentanea cuſtodia, ſpe recuperandi ſponte dimittantur.

10. Neque in controverſia Andriorum & Chalcidenſium, circa occupationem Acanthi urbis deſertæ, facio cum Andriis. vid. *Pufend. de J. N. & G. Lib. IV. cap. VI. §. 8.*

11. Andrii enim urbem nondum in poteſtate habebant, cum eam jaculo ſignarent.

12. Hodie inter privatos nullus eſt uſus occupationis, niſi quoad res derelictas & regiones non habitatas.

13. Res derelictas voco, quas aliquis animo abdicandi dominium abjecit vel deſeruit.

14. Etiam quas invitus amiſit, modo poſtea animum recuperandi depoſuerit.

15. Idque vel quia ſpem recuperandi abjecit, vel quia eas tanti non habet, ut curam recuperandi mereantur.

16. Ad res derelictas refero etiam miſſilia, diebus inaugurationum in vulgus ſpargi ſolita.

17. Regiones deſertæ vero principi occupanti pleniſſimo jure cedunt.

18. At a privato detectæ, ſive id deſtinata opera, ſive caſu fortuito factum fuerit, cedunt inventori quoad emolumentum quotidianum. Ejus vero Imperanti quoad ſupremum imperium.

19. Subditus enim, ubicunque degat, manet ſubditus, niſi antea civitati, in qua degebat, renunciaverit. vide, quæ dicta ſunt *in diſput. noſtr. de jure avocandi cives & incolas ex territorio alieno.*

20. Re-

20. Reliquas res pretioſas, ut metalla, gemmas, uniones, ſuccinum, corallia, feras etiam beſtias ſibi adtribuerunt principes.

21. Vſucapione acquiritur nobis dominium rei alienæ, ſine contradictione domini per tantum tempus, quantum ad derelictionem præſumtam ſufficit, poſſeſſæ.

22. Quandoque etiam acquiritur liberatio a debito ex contractu vel delicto, ſi illud intra idem tempus non ſit exactum.

23. Idque vocatur præſcriptio actionis, de qua dixi *in poſit. ad inſtit. L. 4. tit. 12.*

24. Nam inter gentes fundamentum uſucapionis potiſſimum eſt præſumta derelictio. Dixi diſtincte *poſit.* 8.-14. *Inſt. de Uſucap.*

25. Neque adeo bonam fidem, nec juſtum titulum in uſucapiente requirimus.

26. Nam præſumtio derelictionis & reliqua fundamenta non in uſucapiente ſunt, ſed in amittente.

27. Neque tamen negamus, favorabilem eſſe uſucapionem bona fide & juſto titulo ſubnixam.

28. Neque negamus, jure civili hæc requiſita recte fuiſſe introducta.

29. Acceſſio eſt acquiſitio emolumentorum rei noſtræ.

30. Hæc fluit ex natura dominii; nam propterea alios a re mea excludo, ut uſus ejus plenus mihi ſit & liberrimus.

31. Vſus vero potiſſimum conſiſtit in acquiſitione eorum, quæ rei accedunt.

32. Sive accedunt ex ſola diligentia humana, ſive ex ſola natura, (quo etiam pertinet caſus fortuitus, v. g. in theſauro) ſive ex utraque ſimul.

33. Diligentia humana vel novum aliquid rei addit, vel formam ejus mutat.

34. Formam hic vocamus id, ex quo res nomen ſuum habet, quo mutato forma in moralibus mutata cenſetur.

35. Diligentiæ, rei aliquid addentis, exempla habemus (1.) in *uſuris*.

36. Has non magis illicitas eſſe putamus, quam mercedem ex locatione habitationis vel aliarum rerum perceptam.

37. Modo ſint modicæ, i. e. lucro ex pecunia à debitore percipiendo vel creditori, quamdiu ea caruit, intercepto æquales.

38. Ergo & ab homine tenui exigi poſſunt, ſi creditor pecunia carere commode nequeat, vel de receptione non ſit ſecurus.

39. Argumenta in contrarium ſolide diſcutit & leges Hebreas explicat *Puſendorff. de J. Nat. & Gent. Lib. V. c. VII.* §. 8.-12.

40. Scil. legem divinam uſuras prohibentem particularem fuiſſe patet, quia diſtinguebat inter Judæos & peregrinos. *Deut. XXIII.* 20.

41. Ad eamque legem reſpicit David *Pſ. XV. vers. ult.*

42. (2.) In *adjunctione*, qua rei noſtræ aliquid jungitur ejus reficiendæ vel ornandæ gratia, ita tamen, ut nova ſpecies non fiat. Wenn man ein Buch einbindet / einen Deckel auf einen Krug machet / Knöpffe an den Rock nehet.

43. (3.) In commixtione materiarum ſolidarum vel confuſione liquidarum ejusdem generis.

44. (4.) In *inædificatione*, *implantatione* vel *inſitione* in certum fundum.

45. (5.) In *ſcriptura* vel *pictura* in chartam vel tabulam alienam.

46. Acceſſio ex ſola diligentia formam mutante vocatur *ſpecificatio*.

47. Omnibus his caſibus, ſi res aliena intervenerit, videndum, an ea pluris ſit, quam res vel opera facientis.

48. Tunc quæ pluris eſt, habetur pro principali, utut altera absque hac per ſe ſubſiſtere potuerit.

49. Ita

Digitized by Google

49. Ita charta cedit ſcripturæ vel picturæ, ſpecies ſpecificanti, &c.

50. Nam quod rei phyſice ſuperadditur, & ſine ea ſubſiſtere nequit, id illam ſequitur tanquam principalem, ſi concomitantiam phyſicam ſpectes.

51. At in aſſignandis rerum dominiis ſpectamus prævalentiam moralem, ſive pretium rei.

52. Semper tamen alteri, cujus res vel opera mihi accedit, refundendum eſt, quod ipſi abeſt, pretium nimirum materiæ vel operarum. (a)

53. Denique in commixtione & confuſione, cum ſeparatio commode fieri non poſſit, materiæ fiunt communes, & pro rata dividuntur.

54. Acceſſionis ex ſola natura exempla ſunt (1) alluvio & vis



(a) Vnde non opus erat, tam acriter de re exigua diſceptare, vel tam timide decidere, cum vix concipi poſſit cauſa forenſis ex ejusmodi quæſtiunculis dirimenda. Præſuppoſito enim 1.) alienam materiam bona fide & errore quodam ſpecificanti obveniſſe; cum is, qui eam, ſciens, alienam eſſe, absque domini conſenſu ſuis uſibus applicat, de furto teneatur, neque adeo patrocinium a legibus expectare poſſit, vid. *Hopp. Com. ad §. 25. Inſt. de R. D. verb. eum potius intelligi Dominum.* 2) eum, cui res addicitur, ſemper obligari, ut alterum ratione materiæ vel mercedis operarum indemnem præſtet; 3.) Ejusmodi vel res, vel operas fere fungibiles eſſe, quarum ſimiles ubique & ſemper haberi poſſunt; 4.) earum dominum vix unquam id ipſum, quod ſpecificans, adjungens, pingens, ſcribens, &c. fecerunt, eadem forma, ſpecie, quantitate & qualitate facere deſtinaſſe: Non credo, inane litigium excitandum fore, ſed vel dominum materia ſimili, aut ejus pretio, quod ex affectione augmentum non recipit, contentum fore, vel ſpecificantem tanti non habiturum, ut rem retineat, ſed eam reſtitutis impenſis & mercede laboris domino relicturum eſſe. Neque dubito, Judices non literulis legum Romanarum, ſed rationi & prudentiæ interpretandi innixos, exiſtente quæſtione inhæſuros eſſe rationibus æquitatis, quas latius exponit *Pufendorff. de Jur. Nat. & Gent. Lib. IV. cap. VII. §. 7. 8. 9. 10.*

Digitized by Google

vis fluminis, quorum fundamentum eſt in difficultate probationis. vid. *noſtr. poſit.* 116. *ſeqq. Inſt. de R. D.*

55. Et hæc auget non modo fundos privatos, ſed integra quoque territoria, ſi flumen terminus ſit.

56. (2.) In fœtu animalium, ubi partus ſequitur ventrem.

57. Idque non ſolius juris civilis commentum eſt, ut putat *Grotius de J. B. & P. L. II. c. IIX. §.* 18.

58. Nempe ex corpore æſtimantur animalia, totum vero corpus a matre producitur, nihil a patre.

59. Dominus quoque matris per tempus geſtationis animal ſolicite alere & operis ejus carere cogitur.

60. At Dominus maſculi nihil detrimenti ſentit, quia maſculus leviter opera ſua defungitur.

61. Ergo non ſequitur: Pater cauſa fuit prolis, ergo proles ſaltem pro parte ſpectat ad dominium patris.

62. Siquidem non ſufficit cauſam eſſe, ſed requiritur intentionem habere, ſibi aliquid producendi, vel operam laborioſam, qualis hæc non eſt, ſuſtinere.

63. Denique fœtus aliquando fuit pars matris, nunquam pars patris.

64. (3.) Fructus ſylveſtres, glandes, arboreta, gramen &c. modo fundis meis colligantur, alias acquiruntur jure occupationis.

65. Non obſtat, quod interpretes juris civilis hos referant ad acceſſionem induſtrialem.

66. Non enim quærimus, an induſtria concurrat in perceptione, ſed an in productione?

67. (4.) Theſaurus in fundo noſtro inventus, de quo late dixi *ad Inſt. de R. D. poſit.* 190. - 203.

68. Acceſſio ex natura & diligentia ſimul conſiſtit in perceptione fructuum plerorumque hortenſium & ſegetum.

69. Vbi ſi tertius operas impenderit, de fructibus non participat, niſi ita conventum ſit, ſed merces operarum utilium ipſi eſt reſtituenda.

Cap.

Digitized by Google

# CAP. XXII.

## DE MODIS TRANSFERENDI DOMINIVM.

I.

CVm quilibet jure ſuo vel uti, vel eidem renunciare poſſit, hinc oriuntur modi dominium transferendi.

2. Et hi vel totum dominium transferunt, vel ſaltem certos ejus effectus, puta jus detinendi, fruendi &c.

3. Vnde pignus, uſusfructus, ſervitus realis, locatio &c. de quibus ſupra.

4. Dominium transfertur vel abdicatione corporali, quæ vocatur *traditio*, vel citra eam.

5. Traditio fit in mobilibus de manu in manum, in immobilibus introductione.

6. At longæ manus traditio, idem brevis manus & ſymbolica juri naturæ ignotæ & ſupervacaneæ ſunt.

7. Eas vero jus Romanum introducebat, ne corrueret ſubtilitas recepta: pactis absque traditione dominium non transferri. *l. 20. C. de pact.*

8. Vnde dijudicari poteſt regula vulgaris; Traditionem eſſe juris naturæ.

9. Eam enim admittimus, ſi ita intelligatur: Traditionem jure naturæ non infrequentem eſſe, & ſemper in translatione dominii utendi.

10. Non vero agnoſcimus, ſi ita declaretur: traditionem jure naturæ eſſe neceſſariam, nec citra eam dominium tranſire per promiſſionem.

11. Fa-

Digitized by Google

11. Facta enim promiſſione res non amplius eſt propter promittentem, ſed propter acceptantem.

12. Et omnes actus promittentis, quales dominis alias competunt, circa rem promiſſam illiciti ſunt, excepta traditione.

13. Neque traditio fit jure dominii, quia non libere exercetur, ſed ex obligatione, eſt ergo ſaltem abdicatio detentionis corporalis.

14. Quippe dominium eſſentialiter conſideratur tanquam facultas mere moralis, ſecundum quam res ad me pertinere meæque diſpoſitioni ſubjecta eſſe debere intelligitur.

15. Et quamvis regulariter annexam habeat facultatem phyſicam, ea, quæ circa rem mihi placuerint, ſtatim in actum deducendi;

16. Negato tamen hoc adjuncto negandum non ſtatim eſt dominium, alias non daretur uſusfructus, commodatum, locatio &c.

17. Quodſi dicas dominium ſaltem a poſſeſſione debere incipere, quia dominia a naturali poſſeſſione cœperint;

18. Reſp. (1.) non procedere conſequentiam: per quod res cœpit, id neceſſarium eſt in ſingulis individuis.

19. Ita quaſi uſusfructus coeperat per legatum, codicilli coeperunt propter peregrinationes, emphyteuſis coeperat in prædiis ruſticis incultis &c.

20. Adde, quod ad translationem dominii a productione ejusdem non valeat conſequentia.

21. Siquidem in hac titulus non poteſt eſſe absque apprehenſione corporali, ſecus ac in illa.

22. (2) Negamus, veram poſſeſſionem ſupereſſe apud promittentem, quia hic deſtituitur animo ſibi habendi.

23. Itaque abdicatio ſola corporalis nihil facit ad dominium per ſe transferendum, ſed præcedens cauſa ſeu titulus, de quo jam conf. *l. 31. de A. R. D.*

24. Modi dominium transferentes citra abdicationem corpo-

po-

poralem vel acceptationem promiſſi & plenum conſenſum involvunt, vel ſola offerentis deſtinatione abſolvuntur.

25. Illi vocantur pacta, de quibus ſupra *cap. XVII.* & hæc a contractibus non differunt, niſi de jure Romano.

26. Suntque vel gratuita, quibus nihil viciſſim præſtatur; vel oneroſa, quibus æquivalens.

27. Contractus gratuiti valent, qualescunque ſint, modo (1.) ex deſtinata & ſeria voluntate proficiſcantur: (2.) non veniant ex cauſa illicita; (3.) objectum tale ſit, quod in commercium venire poſſit, v. g. donatio, mutuum.

28. Oneroſi præterea proportionem requirunt inter res vel facta invicem præſtanda & propter inæqualitatem reſcinduntur.

29. Niſi (1.) Læſio iſta veniat ex caſu vel eventu, cujus incertitudo contrahentibus ignota eſſe non poteſt, v. g. ſi ſpes ematur, ſi tranſigatur &c.

30. (2.) Læſio ſit minima, quæ vel probari nequeat ob pretii incertitudinem, vel quam diſſimulare præſtet, quam exaggerando alios irritare, ſibique majora conciliare incommoda.

31. Et iſta quidem diſſimulatio non deſcendit ex obligatione erga lædentem, ſed amore erga ſeipſum.

32. In civitatibus tamen, ne lites multiplicentur, denegatur reſtitutio ob læſionem, quæ non excedit dimidium, *l. 2. C. de Reſc. Vendit.* conf. *poſit.* 15. *ſeqq. Inſt. de Emt. Vendit. & poſit. ff. de reſcind. vendit.* quamvis & hujus legis genuinus effectus rarior & determinatu difficillimus ſit. vid. *Thomaſ. Diſp. de Æquitate cerebrina Legis 2. C. de Reſcind. Vend. & ejus uſu practico.*

33. Oneroſi contractus ſunt emtio, permutatio, locatio, dotis datio &c.

34. Mixti generis inter gratuitos & oneroſos eſſe videntur contractus, qui aleam continent, v. g. emtio ſpei, ludi, ſponſiones, aſſecuratio, &c.



Digitized by Google

35. Hi per ſe non ſunt injuſti, ſed permittuntur, quousque permittitur donatio.

36. Ludi tamen ad illicitum inclinant ob annexum abuſum fere inſeparabilem. dixi *in poſit. ad ff. de aleator.*

37. Qui enim incautus vel animi impotentis eſt, atque lucrum ſibi perſuaſit, de damno vero non cogitavit, non poteſt non ob eventum contrarium ad impatientiam, deſperationem, execrationes, rixas & aliquando dimicationes impelli.

38. Vnde in Republ. Romana ludi fortunæ plane fuerunt prohibiti. *tot. tit. ff. & Cod. de aleator.* hodieque in Germania per Ordinationes Politicas ad certam quantitatem certaque intervalla reſtricti, vid. *Ord. Polit. Elect. Sax. de anno* 1661. *tit. IIX.*

39. Illud hoc loco indagandum, an valeat donatio, permutatio vel venditio futuræ hereditatis.

40. Vel, ut vulgo efferunt: an pacta de hereditate viventis æquitati repugnet.

41. Negamus, (ſuppoſito more gentium hereditatem ad certas perſonas transmittendi) ſive quæſtio ſit de hereditate paciſcentium, ſive tertii; ſive pacta ſint reciproca, ſive gratuita.

42. Quantum enim ad hereditatem tertii, jus diſponendi ipſi non aufertur, ſed ſpes incerta transfertur, quod nullibi reprobatur.

43. Quantum ad hereditatem paciſcentium, putant turpem eſſe ſpem mortis, & inſidias vitæ a ſtipulante metuendas.

44. At ſpes absque inquieto deſiderio non eſt injuſta, neque neceſſario hic præſupponitur.

45. Inſidiæ vero minus hic timendæ, quam ab herede teſtamentario vel legitimo.

46. Hunc enim metus eripiendæ totius vel partis hereditatis, quando deſiderio accelerationis accedit, magis ad necem ſtimulabit, ac illum.

47. Pacta enim acceptantem de hereditate percipienda ſecurum reddunt, non ultimæ voluntates, vel cognatio.

48. Mo-

Digitized by Google

48. Modi ſola offerentis deſtinatione conſtantes ſunt pollicitatio & ultima voluntas.

49. Pollicitatio eſt promiſſum absque acceptatione, & obligat, ubi acceptatio expreſſa fieri nequit.

50. Quo referunt, ſi quid Deo promittatur, (quod votum,) vel Reipublicæ, (quod pollicitationem in ſpecie appellant,) de qua dixi *in poſit. ad ff. pag. 709. ſeq.*

51. Vltima voluntas vel expreſſa eſt, vel præſumta.

52. Vbi ab initio notandum, facultatem de rebus ſuis diſponendi mero jure naturæ tolli per mortem, & res iterum occupanti cedere.

53. Neque ergo barbarum fore morem aut juri naturæ adverſum, ſi poſt cujusque obitum liberis nondum educatis ſubſidia, quibus ad plenam educationem opus eſt, relinquantur, reliquum ærario populi inferatur.

54. Forte tamen gentes crediderunt, induſtriam magis acui, ſi parta cujusque labore iis, quibus optime cupit, relinquantur.

55. Et quamvis moribundus opes plane negligere ſoleat, eas tamen reſpectu amicorum æſtimat, & his præcipue bene eſſe cupit per ea, quæ ſibi ipſi non amplius proſunt.

56. Expreſſam voluntatem dividunt in teſtamentum & codicillum, quæ tamen abſtrahendo a jure Romano non differunt.

57. Neque ſolennitates juris Romani ex æquitate naturali deſcendunt; (a) quæ tamen ſvadet cautius hic procedere, cum ob eximiam quantitatem objecti plus doli metuendum ſit.



(a) Ita ineptiunt, qui numerum teſtium ſeptenarium ex myſteriis Apocalypſeos, vel quia ei ſingularis ſanctimonia attribuitur, requirunt, neque enim ſemper numerus ſeptenarius ſanctus habetur v. g. Wer von Sieben redet, der leugt gerne. It. Eine böſe Sieben. quin & in ſacris: Der unſaubere Geiſt nimmt Sieben Geiſter zu ſich, die ärger ſind, als er ſelbſt. Luc. XI, 26.

58. Deinde cum in hac deſtinatione nec intentio adſit, ſe obligandi, nec acceptatio, patet, eam eſſe mutabilem atque poſteriorem derogare priori.

59. Patet etiam, conditiones impoſſibiles potius pro non adjectis habendas eſſe, quam ut diſpoſitionem vitient, ſecus ac in promiſſis.

60. Siquidem liberalitas exercetur erga abſentem, qui nec acceptare, nec movere teſtatorem poteſt, ut conditionem remittat.

61. Neque jocus præſumitur de moriente, vel mortem cogitante.

62. Præſumtæ fundamentum potiſſimum eſt cognatio ob meliorem memoriæ conſervationem. (*b*)

63. In hac ſucceſſione primum locum occupant liberi.

64. His enim vivi parentes ad alimenta obligantur.

65. Et propter hos acquiſita potiſſimum cenſentur bona, ut nominis paterni memoria diutius & ſplendidius duret.

66. Sive autem ex ſolenni matrimonio nati ſint, ſive non, nihil intereſt jure naturali, modo non præter intentionem ſint procreati.

67. Quippe Jus naturæ ignorat ſolennitates jure poſitivo introductas, dummodo tamen quis fœminam matrisfamilias nomine vel diuturniori cohabitatione dignetur.

68. Deinde ſive liberi primi gradus ſint, ſive nepotes, nihil refert.

69. Quia ad nepotes æque & magis quadrant rationes in filiis obtinentes.

70. De-

Neque rectius juri naturæ tribuitur regula legis 7. D. d. reg. Jur. quod nemo partim teſtatus, partim inteſtatus, decedere poſſit; Nam teſtati & inteſtati pugna naturalis eſt ſuppoſita teſtamenti definitione Romana, quod ſit Supremæ voluntatis noſtræ declaratio de VNIVERSIS bonis noſtris.

(*b*) In primis Suppoſito more gentium cognomina majorum in poſteros derivantium, & a nominibus propriis ſeparantium: Exemplum Bophornii.

Digitized by Google

70. Deficientibus liberis ſuccedunt parentes ex lege gratitudinis.

71. His enim vel ipſa bona vel aptitudinem ea acqvirendi regulariter debemus.

72. Accedit, qvod iis triſte ſolatium turbati mortalitatis ordinis relinquendum ſit.

73. Et hic ex æquitate naturali unius prædefuncti parentis aſcendentes cum altero ſuperſtite admittendi ſunt.

74. Nam & huc applicari poſſunt rationes allegatæ, nec obſtat deficiens jus repræſentationis.

75. Hoc enim vel jure naturæ neceſſarium non eſt, cum fictionem involvat, vel parentibus æque competit ac liberis, ſecus quam jure Romano.

76. Deficientibus etiam parentibus fratres ſuccedunt, & poſt eos reliqui cognati ſecundum amoris prærogativam, quæ ex graduum propinquitate æſtimari conſvevit, cum alias certo definiri vix poſſit.

77. Cui accedit, quod nominis memoria per propinquos felicius propaganda credatur, quam per amicos alios non cognatos.

78. Hinc putem ex præſumtione naturali eos, quibus nomen memoria longius provehitur, utut remotiores, reliquis cognatis proximioribus eſſe præferendos.

79. Cumque plurimum gentium moribus invaluerit, ut nomen gentilitium a ſolis agnatis ſervetur, fœminæ vero in aliam familiam tranſeuntes cognomen liberis ſuis non tribuant, eadem conjectura perſvadet, agnatos in ſucceſſione eſſe præferendos; quod & multarum gentium inſtitutis ita ſervatur.

80. Si vero ſola amicitia, eaque aliunde probanda, primarium fundamentum conſtitueret, eodem vel potiori gradu habendi eſſent, quos ob ſingularem animi propenſionem, vel beneficii exhibitionem majoris æſtimare ſolemus.

81. At hoc infinitis litigiis campum aperiret.



Digitized by Google

82. Et poterat is, qui ejuſmodi amicis aliquid deſtinaverat, expreſſe deſuper diſpoſuiſſe.

83. Siquidem teſtamentum ſemper impedit ſucceſſionem ab inteſtato.

84. Et quamvis plerique putent, *legitimam* arbitrio teſtatoris naturaliter exemtam & neceſſario relinquendam eſſe.

85. Quoad parentes tamen falſum eſt, cum ſupra probaverimus, legem gratitudinis, ex qua ea deſcendit, eſſe juris imperfecti.

86. Quoad liberos adultos itidem; cum nulla amplius alimenta iis debeantur.

87. At infantibus debentur alimenta, donec ſibi proſpicere poſſint, neceſſaria, quæ tamen determinari ad certam eamque perpetuam hereditatis portionem non poſſunt.

# CAP. XXIII.

## DE PRETIO.

I.

CVm non omnia uſibus humanis neceſſaria a ſingulis produci poſſint, introductæ fuerunt permutationes rerum vel factorum pro rebus vel factis aliis.

2. Vbi neceſſe fuit, rebus vel factis aſſignare quantitatem aliquam moralem ſeu æſtimationem, juxta quam ea comparari ad ſe invicem poſſint.

3. Poſtquam vero luxuria hominum ſuperveniens pluribus in dies rebus ad delicatam commoditatem vel oſtentationem inhiare cœpiſſet, hoc pretium internum non amplius ſufficiebat.

4. Etenim unius bona (ſi pecuniam excipias) vel labores

vix

vix apta ſunt ad centeſimam quamque rem earum, quibus indigemus, ab aliis acquirendam.

5. Vel enim iſti rebus aut operis noſtris viciſſim oblatis plane non, vel ſaltem non in præſenti indigent.

6. Itaque invenienda erat res, quæ æſtimatione univerſali & in minutas partes diviſibili cunctis aliis rebus vel negotiis æquiparari poſſet.

7. Vtrumque vocatur *Pretium*, quod adeo ſumitur vel pro proportione rerum ad ſe invicem, vel pro hujus proportionis menſura.

8. Illud vocant pretium *vulgare*, hoc eminens.

9. Vulgare non conſiſtit in quantitate naturali & extenſione, ſed fundamentum morale præſuppoñit.

10. Hoc primitus & inter Gentes ſimpliciores videtur fuiſſe aptitudo, ad ſublevandam neceſſitatem vel promovendam commoditatem vitæ humanæ.

11. Poſtquam vero luxus & ambitio innocentiam invaſerunt, utilitati *raritas* prævalere cœpit.

12. Quippe uſibus humanis neceſſaria ex benigna Creatoris providentia abundare ſolent, ut aqua, frumentum, olera.

13. At voluptati ſaltem inſervientia poſthabito vitæ periculo ex imis terræ viſceribus vel maris abyſſu eruuntur, vel ex remotiſſimis regionibus per vaſta maria comportantur, ut gemmæ, flores & herbæ exoticæ, aromata, uniones. (*a*)

14. Itaque hæc non poſſunt non majoris longe pretii eſſe ob majores & ſæpe fruſtraneos labores & ſumma pericula, quam illa.

15. Et

(*a*) Vogelneſter dienen zur Speiſe vor Wolluͤſtige. Cleopatræ koſtbahre Mahlzeit einer in Eßig gebeitzten Perle. Eines Bauers unwiſſende theure Koſt von Tulipanen-Zwiebeln.

15. Et uſus ergo hodie non ſemper diſcernit pretium vulgare, ſed plerumque raritas, (*a*) aliquando utrumque ſimul.

16. N. O. quod res nullum uſum præbentes vocentur nullius pretii,

17. Nam hoc proverbium concernit tantum res ex genere utilium, quæ tamen uſum *conſuetum* non præſtant.

18. Raritas augetur (1.) gravitate laboris & periculorum, ut in exoticis.

19. (2.) Fama & excellentia artificis. (*b*)

20. (3.) Dubio laboris eventu & neceſſitate nimiæ circumſpectionis, ut in ſubtilibus horologiis.

21. (4.) Pretioſitate inſtrumentorum rei producendæ neceſſariorum, e. g. in operatis chymicis.

22. Et hæc quidem ſunt fundamenta æſtimationis in genere.

23. At ſingulorum individuorum pretium certum determinare impoſſibile eſt.

24. Accedit enim affectio erga rem, quia vel uſibus ejus optime aſſvetus ſum, vel a perſona amata eam accepi &c.

25. Imo & citra allegationem rationis poſſum rebus meis, qvas adhuc teneo, pretium quantumlibet imponere. v. g. Eulenſpiegels Pferd.

26. Scilicet ad venditionem tanquam officium humanitatis cogi nemo poteſt, qvid ergo aliorum intereſt, qvanti ipſe res ſuas æſtimaverit.

27. Inde etiam eſt, quod compenſatio ſpeciei invito domino non obtineat, ſed ſaltem retentio. vid. *poſit. ad Inſt. quibus mod. toll. oblig. & ad Pand. de compenſat.*

28. Si tamen reipublicæ interſit, rem non ſupprimi, ſed in

(*a*) V. g. blühende groſſe Aloe; des Hertzogs von Florentz groſſer Diamant, die ſilberne Ottones.

(*b*) E. g. Albrechts Dürrers Adam und Eva. Carpzovii Corpus Juris, Cranachs Gemählde.

Digitized by Google

in commercium venire, v.g. cibum & potum, poteſt autoritate publica pretium determinari.

29. Et ſi quidem alter rem meam perdiderit, arbitriis honeſtorum & peritorum virorum æſtimationis determinatio committenda videtur.

30. Alias læderetur ille, qui reſtitutioni obnoxius eſt, ſi alter pretium ex ſtulta ratione in infinitum extenderet.

31. Porro cujus rei non eſt commercium, in eam non cadit pretium.

32. Nam pretium tantum eſt medium commerciorum.

33. Pretio ergo æſtimari non poſſunt vaſtus Oceans, liber homo, & quæ jus humanum commercio exemit.

34. Pretium eminens cum tam variis proportionibus reſpondere debeat, requirit materiam (1) in partes æquales minutiſſimas diviſibilem.

35. (2.) Raram, cujus exigua & portatilis quantitas multis rebus reſpondere poſſit.

36. (3.) Durabilem, quæ tempore & uſu non perimitur, nec valde atteritur, ſed ſemper valori ſuo reſpondet.

37. Procul dubio ergo materiam convenientiſſimam præbent metalla rariora, aurum & argentum.

38. Niſi quod viliora adhibenda ſint ad monetam minimi valoris, ut commodius aſſervari & tractari poſſint.

39. Bonitas iſta nummi intrinſeca requiritur propter commercia inter diverſas Reſpublicas promovenda.

40. At inter cives ejusdem Reipublicæ potiſſimam partem conſtituit valor, autoritate Reipubl. impoſitus, & ejus indicium character, ſeu ſignum a principe impreſſum.

41. Autoritate enim publica moneta cudenda eſt, ut certus & idem ſit valor internus, nec adulterina metalla ſupponantur.

42. Si vero bonitas nummi mutetur, tantum puto reſtituendum, quanti pecunia data in præſenti juxta leges publicas expendi poteſt. dixi *in poſit. ad Inſt. de obligat.*



Digitized by Google

# CAP. XXIV.

## DE
## MODIS DISSOLVENDI
## OBLIGATIONES.

I.

MOdos diſſolvendi obligationes, octo enumeravi *in poſit. ad Inſt. quib. mod. toll. oblig.* quibus plures adjeci *in poſit. ad ff. de acceptilat.*

2. Si vero ſimplicitatem & æquitatem naturalem ſequamur, ii omnes ad duo genera referri poſſunt: ſatisfactionem & remiſſionem.

3. Ante omnia vero ſeparandi ſunt caſus, ubi obligatione quidem extitit, tum enim non recte dicitur finiri vel tolli.

4. Quod ſi tamen tolli dicatur, poſſet vocari remiſſio ex natura contractus.

5. V. g. ſi poſt contractum in ſtatum talem deveniat promittens, in quo obligationem non contraxiſſet.

6. Ad ſatisfactionem ſpectat (1.) ſolutio i. e. naturalis præſtatio ejusdem ipſius rei, quæ debetur.

7. Vbi res *eadem & tota* ſolvenda eſt, niſi creditor in rei diverſæ, vel partis ſolutionem conſenſerit.

8. Quod tamen æquum eſt, ubi debitor citra culpam fuit depauperatus, idque ſervant leges imperii.

9. Item *tempore juſto*, quod produci invito creditore non poteſt, niſi ſub dicta limitatione.

10. Anticipari poteſt regulariter, niſi creditor damnum exinde patiatur, v. g. ſi imprimis uſurarum intuitu crediderit.

II. De-

Digitized by Google

11. Deinde ſolvendum ipſi creditori, vel ei, quem hic ad acceptationem ſubſtituit.

12. An vero ſolvatur ab ipſo debitore ejusve ſubſtituto, an ab alio, nihil intereſt, quia debitori non præjudicatur.

13. Qui enim pro prohibente ſolvit, nullam; qui pro ignorante, non efficatiorem habet repetitionem, quam habuiſſet creditor principalis.

14. (2.) Compenſatione, qua mutui debitores ſuum uterque retinendo ſolutione mutua defunguntur.

15. Modo ex neutra parte certum debeatur individuum, ſed utrinque quantitas vel ſpecies infima.

16. Individua enim invitus nec vendere, nec eorum taxationem approbare tenetur.

17. Poſſunt tamen dividua ob aliud debitum retineri non jure dominii & in perpetuum, ſed donec debitum ſolvatur, & jure pignoris.

18. Et conſtare debet de mutuo debito. Nam liquidi cum illiquido non eſt compenſatio.

19. (3.) Delegatione, qua debitorem meum creditori meo conſentienti ſubſtituo, ut loco mei ſolvat, & ego ab obligatione liberer.

20. Hic vero conſtare debet, me ex obligatione eſſe dimiſſum, aliàs delegatus habetur pro fidejuſſore.

21. Porro debitoris ſubſtituendi conſenſus requiritur, licet enim hujus non interſit, utri ſolvat; exceptiones tamen ei contra priorem creditorem forte competunt. Et hactenus a ceſſione nominis differt, quæ cedentem non omnino liberat, nec debitori ceſſo præjudicat.

22. Remiſſio ſubeſt (1.) in condonatione debiti expreſſa ſeu pacto de nunquam petendo.

23. (2.) In tacita redditione chirographi, quia nulla alia cauſa ſubeſſe poteſt, cur quis ſe ſpoliet mediis creditum probandi.

24. Non ergo etiam in redditione pignoris, qvia hujus a-



Digitized by Google

liæ cauſæ ſubeſſe poterant? v. g. ut debitor pignore utatur, vel illud denuo oppignoret.

25. (3.) Si creditor conſulto impediat, quo minus ipſi debitum præſtari poſſit. v. g. Wenn die Herren Studioſi ein Collegium privatiſſimum behandelt / und nicht in die Stunden kommen.

26. (4.) In mutuo diſſenſu, vel potius conſenſu priori contrario, qui nihil eſt, niſi mutua remiſſio promiſſi.

27. (5.) In perfidia alterutrius; qui enim contractum implere recuſat, ille & alteri implementum remittere cenſetur, aliud eſt, ſi implementum differat.

28. Qvando tempore finiri dicuntur obligationes, ſeparandi ſunt caſus diverſi.

29. Vel enim ſubeſt præſtatio, qvæ impleri quandocunque poterat, ſed per longum tempus non exigitur;

30. Hic caſus continet remiſſionem, & vocatur præſcriptio, de qua *ſupra*.

31. Vel una præſtatio eſt, quæ tractu temporis ad ſui implementum indigebat.

32. Hic tempore non finitur obligatio, v. g. qui ædes ſe extructurum intra ſemeſtre promiſit, finito tempore & opere nondum abſoluto non liberatur.

33. Vel plures ſubſunt præſtationes, multiplicationis gratia in temporis ſpatium diviſæ, v. g. dabo annua centum ad decennium.

34. Hic temporis decurſus continet ſatisfactionem.

35. Circa mortem, an finiat obligationes, itidem ſeparandi ſunt caſus.

36. Morte creditoris non finitur obligatio.

37. Niſi ad vitam ejus reſtricta fuerit, tunc mors involvit ſatisfactionem.

38. Reſtringitur vero vel pacto, e. g. dabo centum annua, qvoad vives.

39. Vel

Digitized by Google

39. Vel lege, v. g. concedo tibi habitationem aut alimenta.

40. Nec morte debitoris finitur obligatio, niſi ſubſit factum, quod ab aliis æque expleri non poteſt, vel niſi obligatio ad vitam expreſſe fuerit reſtricta.

41. At tunc obligatio potius non exiſtit, qvam finitur, quia omnis contractus intelligitur rebus ſic ſtantibus.

# CAP. XXV.

## DE CAVSA IMPVLSIVA SOCIETATIS CIVILIS.

1.

QVamvis in ſtatu naturali, h. e. ſocietate æquali citra imperium civile, officia hominis lege naturæ ſatis fuerint determinata, hic tamen ſtatus ad pacem firmam non ſatis erat accommodatus.

2. Metus enim Numinis, præſentis mali comminationem non involvit, quali potiſſimum mali a delictis abſterrentur.

3. Siquidem vir rationis obſurdeſcit vitio conſvetudinis, nec fere, niſi iis movetur, quæ in ſenſus incurrunt.

4. Et defenſio privata audacibus improborum inſultibus reprimendis plerumque non ſufficit.

5. Eo magis vero abundat improbis ſocietas non ita firmiter conſtricta, quia ibi animi non ita excoluntur & affectibus comprimendis aſſveſiunt homines, ac in ſocietate civili.

6. Exulat enim in ſtatu naturali omnis elegantia, plurima ſapientia & pietas.

7. Dominantur contra affectus ambitionis, luxuriæ, libidinis, avaritiæ, quieti aliorum fiducia impunitatis obnitentes.



Digitized by Google

8. Superſunt tamen ibidem principia juris naturalis & dictamen honeſti, eruptionem affectuum in injuriam aliorum, nonnihil ſufflaminantes.

9. Vnde ſtatus naturalis non bellum quidem eſt omnium in omnes, ut Hobbeſius credidit, ſed pax.

10. Infida tamen pax & debilis, ac vel minimi prætextus occaſione in bellum eruptura.

11. Vnde perpetua diffidentia & violentæ defenſionis ſtudium, reliquam animi culturam & tranquillitatem nimis qvantum impediens.

12. Impedit quippe amicitiam, cujus defectus hominem reddit miſerrimum.

13. Itaque honeſtiſſimus quisque pateret improborum injuriis, & vapularet ſtudium bene vivendi.

14. Plerique enim hominum mali ſunt, quibus qui ſe conformem non gerit, ſi ſorte ſecunda gaudeat, opprimitur; ſin adverſa affligatur, contemnitur.

15. Et plerorumque tanta ferocia eſt, ut oblata ſpe lucri, voluptatis, eminentiæ, omne ipſis jus vile ſit.

16. Accedit propriæ ſolertiæ vel virium fiducia, qua læſos eludi vel repelli poſſe ſperant.

17. Accedit quoque nimius læſionis ſenſus ex philavtia oriundus, qua læſus damnum nimis exaggerat, lædens nimis extenuat.

18. Vnde licet in arbitrum provocetur, non poteſt tamen non evenire, ut laudum ejus alterutri iniquum videatur.

19. Neque ſufficiens executio in reluctantes ſuppedit, niſi omnium voluntas ſe ipſi ſubjecerit.

20. Inde concludimus, cauſam primariam conſtituendi civitatem fuiſſe metum, & intentionem ſecuritatis a læſione aliorum.

21. Huic non obſtant (1.) quod homo ſit ζῶον πολιτικὸν, adeoque appetitus vivendi in civitate naturæ humanæ videatur inſitus.

22. Li-

Digitized by Google

22. Licet enim ponamus, hominem natura ferri in ſocietatem, non tamen feretur præciſe in ſocietatem civilem.

23. Voluntas enim civium ſubeſt imperanti & ab eo nimis quantum reſtringitur.

24. Et omnia ſubditorum bona, quin & ipſa vita abjicienda ſunt, ſi utilitatem communem id exigere Imperans pronunciet.

25. At appetitus naturalis non patitur, ut quis ab alieno arbitrio ſimpliciter pendeat, & mortem, egeſtatem, vitamque miſeram in aliorum gratiam eligat.

26. Cumque omnia reliqua in propriam utilitatem conferri ſoleant, ultro patet, ſocietatem civilem non alia intentione placuiſſe, quam propter aliquod commodum.

27. Imo inquiunt alii (2.) hoc commodum non eſt ſola ſecuritas a læſione, ſed etiam major elegantia & commoditas vivendi.

28. Ita enim docet Ariſtoteles: finem civitatum eſſe duplicem: εὐδαιμονίαν & αὐτάρκειαν.

29. At, inquam, *αὐτάρκεια*, prout hodie ſumitur, ante ſocietatem civilem nondum erat cognita, ignoti vero nulla cupido.

30. Quantum vero ad conſervationem hominis neceſſaria eſt, poterat in minoribus ſocietatibus obtineri.

31. Idem dicendum eſt (3.) de cultu divino, prout pro cauſa civitatum habetur.

32. Putamus ergo, cauſam *conſtituendarum* civitatum fuiſſe majorem ſecuritatem, in *conſtitutis* vero ſupervenire culturam vitæ elegantioris. Galanterie.

Cap.

# CAP. XXVI.
## DE
# MATERIA CIVITATUM, SOCIETATIBUS SIMPLICIBUS, (a)
## & primo
# DE MATRIMONIO.

1.

Videndum hic ante omnia de cauſis impulſivis matrimonii, ex quarum indagatione officia pleraque fluunt.

2. Hic ſi recurramus ad Tribonianum §. 1. *Inſt. de Jur. Nat. G. & C.* ille inſtinctum naturalem homini cum beſtiis communem ſuppeditat.

3. At ſupra oſtenſum, inſtinctum normam juris naturæ eſſe non poſſe, quia ſæpius in malum, quam bonum fertur.

4. Et beſtiarum inſtinctus non intendit prolis generationem, ſed libidinis ſedationem.

5. Libido vero in homine per congreſſum ſedatur quidem ad momentum, ſed poſtea ferocius excitatur, donec vires animi & corporis præmature frangantur. Sæpe etiam in alia aliaque objecta fertur.

6. Et tanti ſunt ejus ſtimuli, qui hominem iis paululum obſecundantem extra rationis uſum rapere facile poſſint.

7. Vn-

(a) Societas conjugalis, paterna & herilis imperii gradu differunt, quod maximum in ſervos, medium in filios, minimum in uxorem competit. Jus vero Romanum id in omnes æquali gradu conceſſit, & ita ampliavit, ut etiam vitæ necisque poteſtatem patribusfamilias permiſerit. Rationem hujus rei explicat Franc. Jul. Chopius d. poteſt. & Oblig. L. 2. c. 8. n. I.

Digitized by Google

7. Vnde ſola per concubitum intentata libidinis reſtinctio magis adverſatur ſocialitati quam ut eam promoveat.

8. Neque ergo hic inſtinctus fundamenti loco eſſe poteſt. conf. *Thomaſ. Juriſpr. div. Lib. III. c. II. §. 21.-41.*

9. Sed ea obligatio æque ex fundamento juris naturalis, ſocialitate, derivatur.

10. Scil. tot homines procreati ſunt, quorum auxiliis utor, ergo viciſſim procreanda ſoboles, quæ aliis utilis eſſe poſſit.

11. Vti vero omnia officia affirmativa requirunt occaſionem agendi, ita potiſſimum matrimonium.

12. Nam ut ſoboles proximo meo commoda generetur, requiritur prudentia educandi (*a*) & opes tolerandis matrimonii oneribus ſufficientes.

13. Alias vel mendicos vel maleficos Reipublicæ darem, qvales non proſunt, ſed nocent.

14. Et ubi proximo majora commoda ex cœlibatu meo proveniunt, per matrimonium impedienda, ibi ille præ hoc eligendus.

15. Omnium vero horum determinatio dependet a ſolo agente, unde ſeqvitur, neminem ad matrimonium cogi poſſe, ſicut nec ad reliqva humanitatis officia.

16. Neqve hæc obligatio per leges poſitivas fuit mutata, aut ſingulis generandi facultate pollentibus injuncta. *Thomaſ. I. D. L. III. c. 3. §. 9.-19. & cap. II. §. 49.-58.*

17. Præſuppoſito vero hoc fundamento finis matrimonii primarius erit procreatio ſobolis. (*b*)



(*a*) Vid. *Felden. ad Grot. L. II. cap. V. pag. 132. ſeq.* unde tamen non ſequitur: liberos in patris poteſtate conſtitutos matrimonium inire non poſſe.

(*b*) Addit *Feldenus ad Grot. cap. V. pag. 129.* & educatio non male: nam ad hanc potiſſimum reſpici oſtendit *poſit. 10. h. t.* cæterum definitionem Conjugii Grotianam *d. l. pag. 126.* recte carpit Feldenus.

Digitized by Google

18. Huic *accedunt* (*a*) reſtinctio libidinis & adjutorium mutuum, quorum alterutrum nonnulli pro fine primario venditant.

19. Qvi libidinis reſtinctionem extollunt, urgent, eam magis impreſſam eſſe naturæ ac deſiderium prolis.

20. Qvamvis enim & prolis amor ſit intentiſſimus, aliud tamen eſſe amorem prolis generatæ, aliud deſiderium generandæ.

21. At hos ſatis refutat *Thomaſ. L. III. c. II. §. 66.-73.*

22. Splendidior eſt opinio eorum, qui finem primarium in mutuo adjutorio collocant. (*b*)

23. Provocant enim ad valetudinarios vel ampla oeconomia inſtructos, qvi verum celebrant matrimonium, licet primus eorum finis ſit cura corporis vel rei familiaris.

24. Si reſpondeamus, hos fines eſſe accidentales, cum & ab aliis quam uxoribus obtineri poſſint.

25. Regerunt: non poſſe ab aliis ita obtineri; fidelius enim curari ægrotum ab uxore, quam a famulitiis, ergá quæ tanta familiaritate uti & defectus quosque aperire non poſſimus.

26. Accedere, quod reliqui fidem mutare & expilato patrimonio aufugere poſſint, uxoris vero ſocietas ſit perpetua.

27. Reſp. quamvis multa ad ſingula excipi poſſint, & imprimis inſtantia a Cardinalibus, Epiſcopis, Clericis & Monachis cultui Romano addictis totum argumentum evertat, concedam tamen in caſibus extraordinariis hanc ſocietatem haberi pro matrimonio.

28. Dum-

(*a*) Aliam rationem ab utili & decoro quæſitam ſuppeditat *Siracides XXXVI. 24.-28.* alias a jucundo depromtas alii, inter quas eminet illa de concilianda amicitia intima & perpetua, cui tuto inſiſti poteſt. Cum omnibus aliis amicis timidiuſcule, ſaltem caute, verſari debemus, tanquam cum talibus, qui quotidie inimici fieri poſſint: at conjux, niſi imprudentiſſimus, conjugis inimicus fieri nequit.

(*b*) pro quibus imprimis propugnat Pagenſtech. Sicilimentor. Lauterbach. Manip. 3. ad pag. 440. Tit. 2.

28. Dummodo adſit habilitas, licet ſperata tantum, ut in ſpadonibus, ſterilibus, & intentio aliqua ſobolem procreandi, quæ eſſentialiter ad omne matrimonium requiritur.

29. Et toleratur hoc matrimonium in facie eccleſiæ, quæ etiam tolerat matrimonium primario ob libidinis reſtinctionem initum, quem finem pro primario habendum eſſe contendit *Brukner, Deciſ. Matrim. cap. XI. n.* 14.-26.

30. Quamvis Jure Divino diſerte prohibeatur, ne reſtinctio libidinis ſit finis primarius, quæ prohibitio de mutuo adjutorio non invenitur.

31. Interim utraque horum finium verus eſt, prior ex permiſſu Apoſtoli 1. *Cor. VII.* 9. alter ex conſenſu Chriſtianorum, & quia nullibi prohibitus eſt. *Thomaſ. L. III. c. II.* §. 74.-80.

32. Et controverſiæ circa hanc quæſtionem facile dirimi poſſunt, ſi notemus ſequentia: (1.) datur finis verus, licet ſecundarius.

33. (2) Non omnis finis verus eſt adæquatus.

34. (3) Finis primarius non vocatur, quem unus alterve contrahentium primario intendit, ſed qui eſſentialiter, & ita requiritur; ut omni & ſoli Societati ejus generis tribuendus ſit.

35. (4.) Ceſſante fine primario ceſſat iſta ſocietas, quia ab eo dependet forma & differentia ſpecifica ſocietatis.

36. (5.) Ceſſare finis dicitur, non quando ad tempus intercipitur, ſed quando apodictice certum eſt, eum obtineri nunquam poſſe.

37. (6.) Libidinis reſtinctio ſoli quidem matrimonio tribuenda, ſed non omni, & quatenus ſobolis procreationi ſubordinata non eſt, dignitati hominis præ brutis haud congruit, nedum ut Societas propterea contracta ſchema unionis Salvatoris cum Eccleſia exprimat, vid *Eph. V.* 23.-32.

38. (7.) Adjutorium mutuum prout hodie accipitur, nec omni, nec ſoli matrimonio competit, quale vero *Geneſ. II.* 18. commemoratur, vel Sobolis procreationem deſignat, vel non



Digitized by Google

ſolius conjugalis, ſed cujuscunqve ſocietatis humanæ finis eſt.

39. Jam conſtat, matrimonium eſſe ſocietatem generandi cauſa inſtitutam.

40. Et qvamvis momentanea cohabitatio, quæ ſtuprum appellatur, a gentibus pro matrimonio habita communiter non fuerit, quia omnis ſocietas tractum temporis requirit, & in conjugali ad educationem reſpici debet, iſta tamen propterea jure naturæ non plane prohibita eſt.

41. Minime vero conſtat, ex lege naturæ, quod matrimonium debeat eſſe omnino perpetuum & indiſſolubile. *Thomaſ. d. l.* §. 105.-114.

42. Neque, quod omnis proles a certo patre debeat provenire; unde naturali jure nec uxorem communio promiſcua, nec matrimonium unius uxoris cum multis maritis omnino damnatus.

43. Multo magis eodem jure licitum eſt matrimonium unius viri cum pluribus uxoribus. (a) *Thomaſ. JPr. Div. L. III. c. II.* §. 100.-104. §. 200.-217.

44. Nec omnino prohibetur lenocinium conjugum, quia quilibet juri ſuo renunciare poteſt. *Thomaſ. d. l.* §. 218. *ſq.*

45. Neque jure naturæ damnatur inceſtus qualiscunque etiam in linea aſcendente. *Thomaſ. d. l.* §. 220.-247. unde ſatis fieri poteſt rationibus *Feldeni ad Grot. d. l. pag.* 134. *ſeqq. usque* 140.

46. Poteſt tamen adulterium, polygamia divortium &c. per pacta excludi & præſuppoſitis hiſce etiam jure naturæ ad claſſem illicitorum referri.

47. Imperium etiam per pacta alterutri conjugum quæri poteſt, tam uxori, quam marito.

48. Ne-

(a) Examinandæ heic ſunt rationes, quibus *Feldenus ad Grot. cap. V. apg.* 129. *ſeqq.* editionis Amſtelod. at in Jenenſi p. 168. polygamiam Jure Nat. prohibitam eſſe contendit. Item contrariæ rationes *Theophili Alethei & Athanaſii Vincentii in Polygamia Triumphatrice.* Quas vero *Daphnæus Arcuarius* in der Betrachtung des heil. Eheſtandes pro polygamia affert, jus divinum poſitivum magis quam jus naturæ reſpiciunt

Digitized by Google

48. Neque enim natura imperfectiores ſunt fœminæ, ſed educatione, neqve omnibus numeris abſoluta perfectio ad imperium domeſticum requiritur. Et quid quod fœminas etiam totis regnis feliciter imperare compertum ſit, v. g. Sueciæ Chriſtinam, Angliæ Eliſabetham & Annam. &c.

49. At jure divino poſitivo univerſali omnia hæc determinata ſunt; eo enim prohibitum eſt divortium. *Thomaſ. L. III. c. III.* §. 49.-70. (Sed attentius conſideranda, quæ habentur *Malach. II.* 14. 15. 16.

50. Item concubinatus, ſcortatio, ſodomia, concubitus cum menſtruata. *Thomaſ. d. l.* §. 71.-75.

51. Porro polygamia tam virilis, (*a*) qvam muliebris, adulterium tam viri, quam uxoris, & lenocinium conjugum. *Thomaſ. d. l.* §. 76.-98.

52. Hinc inceſtus in linea recta in infinitum, porro inter fratres & ſorores, hinc inter eos, qui parentum & liberorum loco ſunt; & qui hiſce reſpectibus ſunt affines in primo genere. *Thomaſ. L. III. c. III.* §. 99.-149. & §. 172.-224.

53. Sed qvid de matrimonio comprivignorum? hoc quidam rejiciunt, ſi frater vel ſoror communis adſit.

54. Mihi magis placet ſententia Valandi, quam exhibuit *diſſertatione ſpeciali ad legem Connubii Levit. XIIX.* 11.

55. Vnde infero: ex affinibus poſt contractam affinitatem progenitos & intra reſpectus prohibitæ propinquitatis ſubſiſtentes, conjuges fieri non poſſe. add. *dict. Diſput. de Diſpenſat. matrim.* §. 54. 57. 58.

56. Denique inæqualis facta eſt ſocietas conjugalis & marito



(*a*) Pro ejus prohibitione clariſſimus etiam eſt textus *Levit. XIIX. 18.* Secundum fontes hebraicos, luculenter id oſtendente *B. Mich. Havemanno in Gamolog. Synopt. L. 2. Rit. 5. poſit. 8. reg. 8. pag. 263. 267.* adde ſis rationes alias in *Diſputat. noſtr. de Diſpenſat. circa matrim.* §. 59. evolutas.

rito relictum imperium. *Thomaſ. L. III. c. III.* §. 35.-48. valde tamen temperatum, & quod magis auctoritatis nomen meretur.

57. Contra has leges ſi peccatum fuerit, imprimis circa inceſtum & polygamiam, neque peccatum tolli poſſit citra ſeparationem, hæc omnino inſtituenda eſt.

58. Nec obſtat, quod talia toleranda dicantur in honorem matrimonii.

59. Reſpond. talis conglutinatio non eſt matrimonium.

60. Et Idololatria eſt, matrimonio honorem habere, qui legibus Dei eſt adverſus.

61. Quaſi vero matrimonium non eſſet ſocietas ſecundum præcepta juris divini & humani conſtituta. add. *dict. Diſp. de Diſpenſat. matrim.* §. 6. & 7.

62. Denique benedictio ſacerdotalis non ex jure divino venit, ſed ex inſtituto Eccleſiæ.

63. Tum ut publicetur, has perſonas futuras eſſe conjuges, tum, ut Eccleſia juſtum hoc propoſitum Deo commendet.

64. Hinc iterum benedictio iſta non poteſt legitimare putativas & injuſtas nuptias, quibus requiſita legis naturalis vel poſitivæ univerſalis deſunt.

65. Alias Eccleſiæ major eſſet autoritas, ac ipſius DEI.

66. Itaque inter bina ſponſalia æque valida, licet poſterioribus accedat copula & hierologia, priora tamen prævalent, cenſente ipſo *Luthero*, niſi prior perſona circumventa juri ſuo renunciaverit.

67. Duplex adhuc ſupereſt quæſtio: (1.) an a ſponſalibus per copulam nondum conſummatis contrahentes mutuo diſſenſu recedere poſſint.

68. Quod affirmandum puto, ſecus quam vulgo, quia quilibet juri ſuo renunciare poteſt.

69. At inquiunt: DEO quoque hic jus quæſitum eſt, cui renunciare homini non licet.

70. Reſp.

70. Reſp. ut taceam minus recte dici, quod DEO jus quæratur; hic quoque ratio iſta non recte applicatur.

71. Fundamentum enim indiſſolubilitatis eſt in unitate carnis, quam copula corporum demum inducit.

72. Jus vero ſi quod Deo ex promiſſo quæritur, tendit ſaltem in favorem contrahentium, & facit, ne alter *invito altero* recedere a promiſſis poſſit ſub comminatione pœnæ divinæ.

73. Ita in juramentis quoque jus DEO quæri dicitur, & tamen promiſſio jurata ab acceptante remitti poteſt, adde quæ dixi in *poſit. ad ff. de ſponſal.* 425. ubi Conſtitutionem Alexii Comneni Imp. allegavimus, quam etiam exhibet *Leunclav. Jur. Græc. Rom. Lib. II. pag.* 134. *ſeqq.*

74. (2.) An conſenſus parentum jure divino univerſali ad matrimonii validitatem requiratur?

75. Negamus iterum, quia nullum hujus requiſiti fundamentum neque ex ratione, neque ex ſcriptura ſacra apparet.

76. Siquidem obtenta liberorum educatione, imperium paternum deſinit.

77. Et licet remaneat autoritas; hæc tamen eſt juris imperfecti, nec aliter impetrari poteſt, niſi ſub conditione, ſi liberi bonis parentum frui velint.

78. Vnde hodie valent matrimonia conſummata, ſed parentibus ſupereſt poteſtas exheredandi. (*a*)

79. An error virginitatis matrimonio obſit, ſupra occupavi *cap. XVII. poſit.* 45. *ibique in annotat.*

Cap.

(*a*) Qui tamen lege etiam humana certa requiſita incundo matrimonio poni, iisque ceſſantibus iſtud pro nullo haberi poteſt, non injuſte faciunt principes, quando ejusmodi illegitimam cohabitationem dirimi jubent. Idque vel ipſi Doctores Pontificii, alias ſummum matrimonio, utpote Sacramento, honorem habentes non diffitentur. vid. *ſæpe alleg. Diſput. noſtra de Diſpenſat. matrim.* §. 7.

# CAP. XXVII.
## DE SOCIETATE PATERNA.

I.

PRima hujus capitis quæſtio eſt de fundamento ſocietatis paternæ, quod alii in lege naturali, alii in conſenſu parentum quærunt.

2. Priores obtendunt (1.) quod ſpecialis erga liberos affectus non modo nobis, ſed & brutis ſit implantatus.

3. (2.) Quod liberos alere teneamur, qui eos generavimus.

4. (3.) Quia liberi ſunt pars noſtri, nemo vero odit carnem propriam.

5. Poſteriores allegant conſenſum utriusque tacitum, qui reſpectu parentum fluit ex generatione, reſpectu liberorum ex eorum utilitate.

6. Verum affectum naturalem, tanquam aliquod phyſicum, non poſſe producere obligationem, tanquam effectum moralem, certum eſt.

7. Et bruta cœco inſtinctu propelluntur, cum ratione, qua carent, duci non poſſint.

8. Licitus vero eſt hic affectus, non, quia penes homines deprehenditur, ſed quia ſocialitatem non turbat.

9. Imo præceptus eſt, ſi ſine ejus executione genus humanum ſubſiſtere nequeat.

10. Cur itaque non generaliter dicimus: Fundamentum ſocietatis paternæ quærendum eſſe in neceſſitate vitæ ſocialis?

11. Accedit, quod affectus iſte non tantum debeat naturæ, quantum aſſvefactioni & ambitioni, vel invidiæ.

12. Ea enim impellimur ut memoriam ſaltem noſtram reddamus perpetuam, quod optime per liberos impetratur; aut ne

Digitized by Google

ne bona noſtra aliis poſt mortem relinquamus. Exinde vero nullum præceptum deduci poteſt.

13. Secunda ratio non ſatis connectit: Tenemur alere, quia generavimus. Notum enim eſt in multis congreſſibus obtineri generationem citra intentionem.

14. Et, ſi eam intenderimus, præſumimur prolem alere velle, ſi ſubſidiis noſtris deſtituta periret.

15. Nemo enim præſumitur actum aliquem ſuſcipere ſine fine.

16. Quod vero *teneamur* alere, ex actu generandi non conſtat.

17. Tertia ratio, quod obligemur liberis tanquam parti noſtræ, fluit ex falſa hypotheſi, quod quis ſibi ipſi obligari poſſit.

18. Quantum ad conſenſum, is, quatenus obligat, eſt unanimis voluntas a duobus invicem declarata & acceptata.

19. Obligatio enim ex pacto ſine acceptatione, qua vinculum quaſi apprehenditur, non conſiſtit.

20. Quomodo vero liberi eam potuerunt acceptare, quam prima ætate non intelligunt.

21. Et quomodo parentes eam declararunt erga recens natos, vel adhuc naſcendos?

22. Eſt, inquis, conſenſus tacitus, non verbis, ſed facto declaratus.

23. Atqui declaratio iſta requirit talia facta, quæ nihil aliud præter eam denotant.

24. Et ea in liberis ceſſat, in parentibus vero ex ſola generatione non infertur.

25. Quid ſi enim dicant, ſe tantum ſeminis abundantis impulſum ſopiiſſe, generationem vero eveniſſe per accidens?

26. Imo licet ex generatione inferatur, deficit tamen acceptatio liberorum, quæ demum obligationem perficit.

27. Obligatio ergo ad educandam ſobolem immediate ex lege naturali deſcendit.

28. Scilicet infantes recens nati ſunt homines, quibus jura humanitatis competunt.

29. Ergo lædendi non ſunt, & humanitatis officia ipſis exhibenda, ut vivant, & ratione uti diſcant.

30. Ad hoc vero opera laborioſa requiritur non omnibus hominibus promiſcue, ſed certis perſonis injungenda.

31. Ad hujus obligationis augmentum multum confert proximitas, quodque parentibus maxime imputetur, quod infantes exiſtant.

32. Accedit, quod obligatio ad generandum, de qua *cap. præced.* involvat quoque obligationem ad educandum, ſi hoc officium alii non ſuſcipiant.

33. Officium, inquam, educandi ad parentes ſpectat, non miniſterium. Vnde liberi ab aliis poſſunt lactari, informari &c.

34. Educatio conſiſtit in alimentis quoad corpus, & diſciplina quoad animum.

35. Ad alimenta opus non eſt imperio, cum ſenſus indigentiæ & inſtinctus liberos ad ea ſponte capienda impellat.

36. Animi vero cultura in primis annis ſine coërcitione obtineri non poteſt.

37. Scil. & cultura voluntatis (a) atque affectuum ſubjugatio, & cultura intellectus atqve laborum patientia vix animo ſponte ſe inſinuant.

38. Hinc fluit imperium parentum in liberos, tanquam medium ad educationem neceſſarium.

39. Quod tamen ceſſante indigentia educationis & alimentorum iterum deſinit.

40. Nec ergo obſtat, quod patria poteſtas jure Romano etiam poſt educationem ſuperſit, donec pater eidem renunciaverit.

41. Reſp. remanet ibi alimentorum continuatio & ſpes ſucceſſionis in bona.

42. Hiſce qui renunciaverit, & finem educationis obtentum

(a) An itaque jus parentum in religionem liberorum extenditur, quod contendit Petr. Aerodius?

Digitized by Google

tum eſſe ſatis probaverit, ex poteſtate patris exire potuit, aut ſi non potuerit, id legibus humanis tantum debetur.

43. Competit autem hæc poteſtas ex jure naturæ non ſoli matri, ut putat Hobbeſius. vid Puſend. *de J. N. & G. Lib. VI. c. II.* 1.-5.

44. Nec ſoli patri, ut putat Hornius *de Civil. L. I. c. 2.* ea ratione motus, quod nemo duobus æque ſubditus eſſe poſſit.

45. Sed competit utrique æqualiter, niſi accedant pacta contraria.

46. Ex jure Divino poſitivo tamen prævalet imperium patris. Interim mater ejus non eſt incapax. Et imo, id exercet, ſi ſit vidua.

47. Amplitudo hujus imperii tanta eſt, ut in ſtatu naturali remedia coactiva ad mortem usque extendi poſſint.

48. At in ſtatu civili jus vitæ & necis competit ſoli principi. (*a*).

49. Ad bona vero hæc poteſtas naturaliter non extenditur. *Thomaſ. Juriſpr. Div. L. III. c. IV.* §. 69. *ſqq.*

50. Omni obſequio, qvia hoc ex amore & metu conſtare debet, ut ſupra dictum; juncta eſt reverentia, cujus correlatum ex parte imperantis eſt autoritas ſeu gravitas.

51. Eadem ergo & imperio paterno juncta eſſe debet, & ſublato imperio remanet.

52. Siquidem ejus fundamentum non ita deſinit cum fundamento imperii, ſed ſupermanet gratitudo pro eximio beneficio educationis.

53. Educationis, inquam, (*b*) non generationis, hæc enim non requirit operam laborioſam, uti iſta.



(*a*) In Republ. tamen Romana patribus familias relinquebatur, vid. Fran. Jul. Chop. Philoſoph. juscd. poteſt. & obligat. L. 2. cap. 8. n. I. & Libr. II. cap. VII. n. 6. ſqq.

(*b*) Ratione patris res certa eſt, quantum ad matrem vero dolores & periculum partus majoris videntur momenti? unde etiam Siracides *cap. VII.* 29. 30. & Tobias *IV.* 3. 4. hoc medio termino utuntur. Quemadmodum vero & hæc aliquod momentum pro exhibenda gratitudine af-

54. Beneficium vero non ex utilitate accipientis, ſed ex difficultate præſtandi æſtimatur. vid. ſupra, *cap. XVI. poſit.* 26. *ſqq.*

55. Exinde vero conſtat, reverentiam eſſe juris imperfecti.

56. Tum quia teſtificatio ejus non includitur actionibus determinatis, tum quia ad gratitudinem nulla ſupereſt coactio.

# CAP. XXIIX.

## DE. SOCIETATE HERILI.

I.

FVndamentum hujus ſocietatis non eſt in ſola indigentia, quippe hanc quo minus aliquis toleret & mediis commodius vivendi renunciet, non prohibetur.

2. Niſi quod in bene conſtitutis Rebuspublicis validi mendicantes emigrare, vel laboribus, quibus pares ſunt, victum quærere cogantur, ne graves ſint civibus.

3. Ne-

ferunt; ita notandum 1.) hos dolores non ex deſtinato arbitrio ſuſcipi, ſed invitam obruere; 2.) brevi tempore durare; 3.) non ea intentione ſuſcipi, ut proli proſint; quemadmodum & revera eidem non proſunt. Et unde eſt, quod Parentibus, etiam matri, quando infantem exponunt, & is forte fortuna ab alio quodam ſuſcipitur atque educatur, nulla ab eo reverentia debeatur. Eandem vero exigere poſſit is, qui expoſitum infantem educavit, item proximi cognati vel tutores orphanum educantes, maxime ſi gratis id fecerint; quin & ſi pretium alimentorum acceperint. Indemnitatis enim præſtatio obligationem ad gratitudinem non tollit. Nec obſtat, quod h. m. parentes pauperes, qui ſumtus educationis ferre non poſſunt; quive liberos adoptandos tradunt, reverentiam exigere non poſſent: Reſp. iſti curam prolis non abjiciunt, ſed eo magis anguntur, quod mediis eam alendi deſtituentur, atque adeo voluntas ipſis pro effectu imputatur.

Digitized by Google

3. Neque fundamentum quæri poteſt in dexteritate alteri melius proſpiciendi, quam ipſe ſibi poteſt.

4. Imo plane contraria eſt juri naturæ opinio Ariſtotelis & Græcorum de ſervis natura.

5. Ea enim jus ſibi arrogabant Græci, qui ſoli ſapere ſibi videbantur, barbaros citra alias belli cauſas invadendi, tanquam qui ipſo jure ſervi eſſent.

6. Si tamen eo, quo hodie fieri ſolet, modo explicetur: ſvadendum nempe eſſe ſtupidis & egenis, ut aliorum ſervitiis ſe addicant; vera eſt, ſed mentem Græcorum non exprimit.

7. Fundamentum vero hujus ſocietatis eſt pactum, cujus cauſa mutua indigentia ſed non ejusdem generis.

8. Herus enim ſervo indiget ad amplioris œconomiæ ſufficientem culturam, cui ſolus ipſe præeſſe non poteſt.

9. Servus herum quærit ad ſublevandam inopiam victus & amictus.

10. Nulla itaque ſocietas herilis citra pactum ſubſiſtit, ne quidem reſpectu captivorum hoſtium.

11. Quamvis enim hi ſub mortis metu ad hoc pactum ineundum cogi poſſint, verum tamen manet: *qui mori ſcit, cogi neſcit.*

12. Vnde ſi quis nolit vitam ſibi ſervari, wenn er kein Quartier haben will/ & invitus tamen ſervetur, aufugiens poſtea, vel damnum inferens, fidem non lædit, quia fidem nondum dedit.

13. Itaque duplex enaſcitur ſervitus: altera plane ſpontanea, qua quis ſe ſubjicit ſenſu indigentiæ adactus.

14. Altera metu mortis elicita in hoſtes captivos.

15. Prior vel ad certum tempus reſtringitur, de cujus juſtitia nemo dubitat, eſt enim ſpecies locationis operarum, de qua *ſupra.*

16. Plurima tamen ejus incommoda ex parte dominorum teſtantur infinitæ Chriſtiani orbis querelæ.

17. Siquidem viliſſima mercenariorum ingenia exiguo & ſæpe nullo honeſtatis & internæ obligationis ſenſu pollent.

18. Vixque adeo ad officium redigi poſſunt, niſi aliqua coactione, quæ tamen in hac ſervitutis ſpecie fere exulat.

19. Extremum regulariter remedium eſt ejectio ex familia, quam nihili æſtimant, qui alium quotidie herum inveniunt, vel quibus opes ad brevem ſuſtentationem ſufficiunt.

20. Addendum etiam turpiſſimum ſuſtentationis genus ex mercede meretricia, furtis, latrociniis, mendicatione.

21. Vt recte adeo optent plurimi reductionem ſervitutis perpetuæ in orbem Chriſtianum.

22. At inquiunt alii: prohibet eam ratio religionis Chriſtianæ, quæ fratres nos facit, imo plane membra unius corporis, cujus caput eſt Chriſtus. (a)

23. Manus vero, inquam, & pedes ventri perpetuo ſerviunt, ut ab ipſo ſuſtententur.

24. Et, ſi fraternitas Chriſtianorum excluderet imperium, deſiiſſet etiam ſubjectio civilis, deterior ſæpe ſervitute. (b)

25. Servi enim a domino ſaltem aluntur, at egeni ſubditi oneribus civilibus realibus & perſonalibus preſſi aliquando impediuntur, ne victum qværant, & quæſita ſæpe ſuſtentationi non ſufficientia maximam partem ipſis auferuntur.

26. At, inquis, iis tamen remanet proprietas bonorum & ſtatus civilis.

27. Reſp.

(a) Forte argumento Gal. III. 28. IV. 7. Hier iſt kein Knecht noch Freyer, ſondern ſie ſind allzumahl einer in Chriſto. Verum ibidem etiam additur: Hier iſt kein Mann noch Weib. Quod vero ad dictum I. Cor. VII. 23. attinet: Ihr ſeyd theuer erkaufft, werdet nicht der Menſchen Knechte. Ad id reſpondi: Poſito, idque confirmat Apoſtolus d. l. verſ. 14. Ein ieglicher, lieben Brüder, worinnen er beruffen iſt, darinnen bleibe er bey GOtt.

(b) V. g. Daß man keinen Römiſchen Bürger ſtäupen durffte noch binden, Actor. XXII. 24.-19. Jus Comitiorum aliaque in prolegom. ff. p. 25. commemorata.

Digitized by Google

27. Reſp. Potiſſima ſtatus civilis privilegia Romanis uſitata hodie ceſſant; excepta bonorum proprietate.

28. Hujus vero defectus a vita Chriſtiana non omnino abhorret. *Act. IV.* 32. Et ſi parcius cogantur vivere ſervi: parce vivere eſt optime & ſecundum rationem vivere.

29. Cædi vero & intolerabili ſævitiæ alii obices poni poſſunt ſalvo ſtatu ſervitutis: §. 2. *Inſt. de his qui ſui &c.*

30. Neque ſervitutem ſuſtulit Apoſtolus, ſed diſſuaſit, ne Chriſtiani ſponte fiant ſervi gentilium, utque data occaſione liberationem ab ipſis impetrent. 1. *Cor. VII.* 21. *ſeqq.* cæterum vide 1. *Tim. VI.* 1.2.

31. Vnde patet, infirmam eſſe rationem, cur Chriſtianis in bello captis ſervitus non imponatur, quia membra ſunt unius corporis.

32. Cur enim eadem ratio non prohibet multa millia Chriſtianorum ab invicem trucidari, cruciari & igne ferroque ad incitas redigi?

33. Licita ergo cæteris paribus erit utraque ſervitus perpetua, cujus tamen diverſæ ſunt proprietates.

34. Spontanea perpetua, non extenditur ultra id, de quo contrahentes ſenſiſſe præſumuntur.

35. Exulant ergo in ea labores valde moleſti, quibus longe majus domino commodum obvenit, quam ut onus ſuſtinendi ſervum ſatis compenſetur.

36. Exulant etiam labores, qui a jumentis minori ſumtu poterant impetrari vel inſtrumentis mechanicis facilitari, quique ſaltem cruciandis hominibus ſunt inventi, v. g. ut ſervus aratrum trahat, in piſtrino laboret.

37. Exulant porro inedia, defectus quietis, afflictio tempeſtatis inclementiis, ſumma ſordities &c.

30. Quæ tamen omnia ſuo modo adhiberi poſſunt in ſervos captivos, ut ulterior nocendi pruritus mitigetur, ſi domino aliter cautum eſſe non poſſit.

39. Et hic tamen iſta temperanda, ne deſperationis rabies in ipſum dominum armetur.

40. Denique jus vendendi ſervum ſpontaneum conſtrictum eſt, ne fiat, ubi ipſi juſta diſſentiendi cauſa ſupereſt: ſecus in capto ob damnum illatum, niſi quod Chriſtianus Chriſtianum truculentis barbaris relinquere non debeat.

41. Quod ex captis natum eſt, capientis fit jure acceſſionis; quod ex ſpontaneis, tum domino relinquitur, ſi alio modo ali commodius non poſſit; in compenſationem educationis.

# CAP. XXIX.

## DE FORMA CIVITATIS.

I.

SVpra demonſtravimus, cauſam civitatis eſſe ſecuritatem ab invaſionibus aliorum.

2. Hæc aliter obtineri non poteſt, qvam multis hominibus perpetuo unitis. Pauci enim reprimendo multorum inſultui non ſufficiunt.

3. Et unio temporalis poſt diſſolutionem majoris diſſidii occaſionem præbet, cum familiaritas unitorum eorum bona & vires nocendi magis detexerit, quorum illa poſtea appetuntur, harum repreſſio immatura ſuſcipitur. Ipſum quoque ſecuritatis ſtudium perpetuum eſt.

4. Perpetua vero unio ſolo unitorum conſenſu firma eſſe nequit, niſi quid accedat, ſingulos receſſuros ad perſeverantiam cogens.

5. Quippe hanc impediunt (1.) diverſitas inclinationum & hebetudo diſpiciendi, qvid ad finem hunc ſit utilius.

6. (2) Torpor & averſatio ea, quæ toti corpori proſunt, cum aliqva moleſtia exequendi.

7. (3.) Pervicacia mordicus retinendi, quæ ſemel utcunque bona viſa fuerunt.

8. Non ergo aliud remedium ſupereſt, qvam ſummam poteſtatem conſtituere, quæ malum præſens & in ſenſus incurrens infligere poſſit communi utilitati reluctantibus.

9. Eamque tali autoritate inſtruere, ut quicquid illa circa rem communem voluerit, pro voluntate omnium ſit habendum, & omnium vires ad ejus executionem applicandæ.

10. Requiritur ergo ad civitatem conſtituendam (1.) pactum plurium inter ſe, quod perpetuo uniri velint.

11. (2.) Decretum, cui potiſſimum regimen deferendum ſit.

12. (3.) Pactum inter unitos & eum vel eos, quibus imperium deſtinatum eſt de eo ſuſcipiendo.

13. Defertur enim vel uni homini, vel toti alicui concilio eique vel paucorum, vel univerſorum, unde tres vulgares civitatum ſpecies: Monarchia, Ariſtocratia, Democratia.

14. Membra concilii ſi circa adminiſtrationis regulas diſſentiant, pro omnium voluntate habetur, quod plurimis placet.

15. Civitas ergo eſt ſocietas major, perpetua, inæqualis, ſecuritatis & pacis communis omnibus viribus conſervandæ gratia communi conſenſu inſtituta.

16. Recte tamen majeſtas a DEO eſſe dicitur, ſed mediate, quatenus eam approbat, tuetur, & ut introducatur ſuo modo præcepit. vid. Thomaſ. *Colloquia menſtrua menſ. Decembr.* 1688. *item Maj. & Jun.* 1689.

17. Imperantis ergo eſt, pacem ſubditorum inter ſe, eorumque cum exteris conſervare.

18. Hinc (1.) prudentiam gubernandi, &, quid ex utilitate publica ſit, diſpiciendi afferre debet.



Digitized by Google

19. (2.) Leges huic fini congruas & perſpicuas, ſed quam fieri poteſt, paucas ferre.

20. (3.) Juſta & ſufficienti pœna transgreſſores earum afficere, vel juſſa ſua exequi nolentes ad officium per coactionem redigere.

21. De legis requiſitis ſupra dictum eſt, *cap. V. per tot*, de pœnis dicetur inferius, *cap. XXXI.*

22. Nunc adde: Leges humanas non poſſe contrarias eſſe legibus divinis, bene tamen conceſſioni divinæ, vid. ſupr. *cap. VI. poſit.* 9. *ſeqq.*

23. (4.) Judicia inſtituere, iisque probos & peritos præficere.

24. Vt enim ipſe juxta curam ſalutis publicæ ſingulas etiam privatorum controverſias dirimat, poſſibile non eſt.

25. Imprimis poſtquam litigandi lues orbem Chriſtianum plane obruit, & nemini tamen inaudito via juſtitiæ deneganda eſt.

26. (5.) Vt lites omni modo abbreviare annitatur, dummodo de jure partium conſtare poſſit.

27. (6.) Curam religionis & reliquarum doctrinarum ita gerere, ne ejusmodi prætextu dogmata ſuperſtitioſa aut ſeditioſa in Rempublicam invehantur.

28. Reliquum jus ſacrorum videbimus infra, *cap. XXX.*

29. (7.) Sumtus ad curam Reipublicæ neceſſarios eo modo colligere, qui ſubditis minime gravis eſt eosque ad uſus publicos, non privatos impendere.

30. Ergo non recte aſſerit jus Civile, dominium pecuniæ fiſcalis eſſe penes Principem, non enim, niſi adminiſtratio ipſi competit, æque ac tutori. Et diſtinctio inter Cameræ ac Steurarum Collegia inventum quarundam Gentium eſt.

31. (8.) Curam pauperum, præſertim eorum, quibus ex publico malo privata calamitas enata eſt, gerere. add. *Joh. Petri Ludwig diſputatio de jure veletudinarii militum emeritorum.*

32. (9.)

32. (9.) In media pace de bello cogitare, fines munimentis & præſidiis inſtruere, cives congregare, armis tractandis aſſvefacere, vel loco eorum milites conducere.

33. (10.) Fœdera pro ſecuritate adverſus injurias finitimorum inire, & legatos, ubi ſuſpicio oritur, huc illuc in ſpeculam quaſi conſtituere.

34. Hæc jura & officia omnia penes eundem vel eosdem eſſe debent, alias Rempublicam in irregularem & male cohærentem degenerare neceſſum eſt.

35. Regularis ergo Respubl. ea eſt, ubi imperium ſummum in uno ſubjecto ita eſt unitum, ut ab ejus voluntate indiviſum & inconvulſum per omnes civitatis partes & negotia ſeſe diſpenſet.

36. Subjectum illud eſſe, (*a*) vel unam perſonam, vel

 con-

(*a*) Subjectum Majeſtatis duplex facit Grotius *de J. B. & P. L. I. c. III. §. 7. n. 3.* Commune, ſcil. civitatem, & propriam, perſonam unam vel plures, in quas civitas τὸ κύριον contulit. Hæc diviſio diſplicet Henrico Henniges *ad Grot. pag. 164.* putanti, hoc modo viam ſterni opinioni peſſimæ de Majeſtate duplici, reali & perſonali, quarum illa penes populum ſemper ita ſit, ut perſonali, quæ penes Regem eſt, prævaleat, & populus Regem male imperantem coercere & punire poſſit. Nec recte Grotium applicare ſimile a viſu, cujus ſubjectum commune corpus, proprium oculus dicitur; quin majeſtatem de civitate tanquam ſubjecto non aliter dici poſſe, quam eruditionem de muſeo, in quo vir doctus verſatur. Sed ſalva res eſt, & cum Kulpiſio *in Collegio Grot. Exerc. II. th. 6.* hanc diviſionem veram atque utilem putamus; nec quicquam enim commune habet cum majeſtatis in realem & perſonalem diviſione. Quando nimirum ſubjectum majeſtatis commune Civitas dicitur, non populo aliqua majeſtas tribuitur in oppoſitione ad Principem, ſed majeſtas quæri debere dicitur in Civitate, quæ ex ordine imperantium & parentium conſtat, cujusque adeo conceptus Principem complectitur. Tota vero civitas non eſt ſubjectum Majeſtatis proprium; quippe quod conſtituunt Imperantes pro diverſa Reipubl. forma. Uno verbo; Majeſtas non quærenda eſt extra Rempublicam; in qualibet vero Republica deprehenditur. Quemadmodum viſus non in anima, ſed in corpore reperitur. Et corpus recte dicitur ſubjectum vi-

Digitized by Google

concilium; idque vel ſelectorum quorundam, vel omnium, unde tres ſpecies reſultant, dixi *ſupra poſit.* 13. *ſeq.*

37. Quænam alteri prævaleat, disquirunt multi? (*a*) potiſſimæ partes tribuuntur Regno ſeu Monarchiæ. Vid. omnino *Barclaji Argenid. L.* 1. *p. m.* 107.-122. ubi regnum ſucceſſivum etiam præfert electivo.

38. Addendum videbatur, quod ex eo pendeat ſalus publica, ut media eam tuendi ſint arcana, & celeriter poſſint expediri, horum vero utrumque in Regno magis, quam reliquis Rerumpublicarum formis obtineatur.

39. Rectius tamen diſtinguunt alii inter conſervationem & amplificationem Provinciæ, illa non minus in Democratia, hæc melius in Monarchia obtinetur.

40. Porro Rex aſciſcitur vel propter extremam neceſſitatem, vel citra eam.

41. Extrema neceſſitas vel ab eo infertur, qui poſtea aſciſcitur, ut ſi quis jure belli provinciam hoſtilem occupet.

42. Vel infertur a tertio, & afflicti ad evitandam perniciem

ſus commune, quatenus animæ opponitur; licet non totum corpus videat. Eodemque modo civitas commune Majeſtatis ſubjectum eſt, quatenus ſtatui naturali & ſocietati gentium opponitur, licet non omnia civitatis membra de Majeſtate participent. Nec obſtat, quod viſus excuſſo oculo non ad corpus redeat, ſed pereat; linea vero regia extincta Majeſtas ad populum revertatur: eousque enim Grotius comparationem extendere noluit, & in eo diverſitas eſt, quod Majeſtas a populo in Regem collata ſit, viſus vero a reliquis membris oculo non communicetur. Nec ſatis apta eſt Hennigii inſtantia: Nam eruditio a muſeo in eruditum non confertur, & eruditio æque ac eruditus extra muſeum eſſe poſſunt. Add. *Boecl. Comment. ad Grot. pag.* 223. *ſeqq.*

(*a*) Pro Monarchia propugnat Hobbeſius de Cive Cap. X. Pro Ariſtocratia Huber. d. Jur. Civit. L. Sect. VII. c. I. Pro Democratia Thomaſ. in Notis ad Monzamb c. I. § 2. p. 25. & de hac controverſia ac ſingulorum ſententiis graviter judicat Thomaſ. ad Huber. d. I. tit. 10.

Digitized by Google

em alteri ſe feſtinanter ſubjiciunt. Vtroque caſu regnum ipſi plene acquiritur, niſi pacta expreſſa in contrarium adſint.

43. Et hoc regnum vocatur patrimoniale, quod liberrime adminiſtrari, in heredes transmitti, alienari & dividi poteſt.

44. Diviſio tamen non præſumenda, quippe quæ etiam familiæ regis exitialis eſt.

45. Rerum vero in aliquem collatum citra neceſſitatem plus juris non involvit, quam ex collatione inferri poteſt.

46. Inde in dubio non poteſt transmitti, dividi, alienari, &c.

47. Et licet tanquam hereditarium ſimpliciter concedatur, alienatio tamen & diviſio inhibita præſumitur. Puf. *de Off. H. & C. L. II. c. X. §. 9.*

48. N. O. quod contra populum militare videatur præſumtio, quippe qui clarius loqui, eaque excipere potuiſſet.

49. Reſp. futurus etiam imperans eadem expreſſe reſervare poterat, cum de lucro captando certet, populus vero de damno vitando.

50. An autem hoc caſu omnes imperii actus citra ſtatuum conſenſum expedire ipſi in dubio liceat, magis quæritur?

51. Et affirmandum puto, quia nomen Regis vel Principis hæc involvit, nomen vero generis in dubio pro analogato nobiliori ſumitur.

52. Salva tamen ſummi imperii eſſentia conſtitui poteſt, ne in caſibus certis imperans absque ſtatuum conſenſu, vel contra leges fundamentales aliquid decernat.

53. Sufficit enim, quod a nullo homine tanquam ſuperiore dependeat, quod ad certos actus a nemine cogi, nec puniri poſſit, (*a*) quod ſub imperantis nomine demum ea, quæ ſtati-



(*a*) Plerumque heic diſputatur de Jure Regis Iſraëlitico, quod paulo acerbius *1. Sam. IIX.* multo vero moderatius *Deut. XVII. 14.-20.* deſcribitur. Vtrumque locum conciliaturi Scriptores Theologi æque ac Politici

bus placuere, autoritatem obtineant, (a) quod legibus humanis, qua talibus? non ſit obſtrictus.

54. At irregulares Respublicæ non poſſunt non variis defectibus laborare.

55. Tales enim ſunt, ubi publica lege receptum, ut unio, qua civitatis eſſentia abſolvitur, non ſit omnino perfecta.

56. Harum ſpecies infinitæ eſſe poſſunt, potiſſimæ tamen ſunt Reſpublica Romana ante reſtauratam Monarchiam, & hodiernum imperium Romano-Germanicum.

57. Olim enim Senatus & populus ſummo utrinque jure negotia tractabant, nec alter alteri erat obnoxius.

58. Hodie vero ita invaluit procerum potentia, ut Imperatori non alio modo, quam inæquales fœderati ſubſint, quicquid etiam adverſarii Severini de Monzambano contradicant.

59. In regularibus etiam Rebuspublicis vitia vel hominum, vel

varias indagarunt vel excogirarunt ſententias, de quibus vid. *Thomaſ. Colloq. German. menſ. Decemb. 1688. pag. 777. ſeq.* add. *Schook. de quadruplici lege regia*, *Sect. 2. pag. 16. 48.* nos cum Schookio Vitriario & aliis utrobique Jus verum, & *Deut. XVII.* officium Regis; *1. Sam. IIX.* vero officium populi deſcribi putamus; neque enim textus poſterior ſolum ad ſtatum extraordinarium referri poteſt. Quodſi dicatur regi verum jus competere non poſſe, niſi quod officio Regis reſpondeat: concedo jus regis internum latius, quam officium patere non poſſe; jus externum vero, quatenus ſubditis reſiſtere non licet, longe ulterius extenditur. Tanto magis vero exceſſus DEum vindicem habent, quanto minus ſubditis vim opponere permiſſum eſt. Sed multo magis putamus, tot contentiones & diſputationes heic pene fruſtraneas eſſe, cum utraque lex iſta Regia ſolam Rempubl. Iſraëliticam reſpiciat, & neque de aliis Regibus agat, neque hodie obliget, niſi qua præcepta, ex jure naturæ deducta, & ad ſtructuram ſocietatis civilis neceſſaria complectitur.

(a) Vnde differentia inter Reichs Gutachten & Reichs Abſchied.

vel ſtatus deprehenduntur, de quibus *Puſend. de Off. H. & C. L. II. c. IIX. §. 5.-11.*

60. Sed hæc tamen clanculum ſaltem irrepunt, & mutari facile poſſunt, cum contra irregularis Reipubl. forma legibus fundamentalibus confirmata absque totius corporis concusſione, tolli non poſſit.

# CAP. XXX.

## DE JVRE PRINCIPIS CIRCA SACRA.

I.

HAec controverſia per aliquot ſecula ſiluit, donec Pontificis jugum Procerum Germaniæ major pars excuteret, quo tempore aliud Eccleſiæ caput quærendum eſſe putabant.

2. Et uti fieri ſolet, in alterum prolabebantur extremum plurimi, eousque, ut Principem caput Eccleſiæ conſtituerent. vid. *Grot.* de *Jure ſummarum poteſtatum circa ſacra.*

3. Sed nec hoc procedere, patebit, ſi demonſtratum fuerit, *Eccleſiam non eſſe ſtatum imperio aliquo ſummo humano ſubnixum.*

4. Quod ſi hoc adſtruxerimus, liquida erit theſis altera contra Pontificios: Eccleſiam non eſſe ſtatum *ſeparatum ab imperio civili*, & qui imperio ab hominibus adminiſtrato *ſibi proprio*, *nec aliunde dependente* gaudeat.

5. Probat vero has theſes B. Puſendorff *de Habitu Religionis Chriſtianæ ad vitam civilem* hujus rationes maximam partem ſequemur.

6. Primaria eſt, quod Eccleſia, tanquam per totum terrarum or-

orbem diffuſa, & fere inviſibilis, longe ſublimiore nitatur principio, quam ſtatus aliquis ſeu reſpublica.

7. Deinde civitates religionis cauſa conſtitutas falſo dicitur, ea enim & in familiis commode obtinetur.

8. Vnde nec Principi, nec alii cuiquam homini voluntatem ſuam ſubmiſerunt cives circa religionem.

9. Porro videndum, annon Chriſtus tanquam caput Eccleſiæ politicum, i. e. tanquam ſummus Eccleſiæ imperans, in his terris ſe geſſerit.

10. Item, an poſt ſe Vicarium reliquerit vel principem, vel Pontificem.

11. Neutrum vero; Chriſtus enim nunquam ut Regem ſe geſſit, Apoſtolis quoque ſuis, ne imperarent, diſerte prohibuit, *Matth. XX.* 20. *Luc. XXII.* 25. *Marc. X.* 42.

12. Ipſe nimirum utebatur quidem miraculis, non tamen terrorem incutientibus, noxamve inferentibus, *Luc. IX.* 54. *ſeqq.* 1. *Reg. I.* 10. 12. ſed amorem hominum elicientibus. *Act. X.* 38.

13. Sectatores habuit paucos, inermes, nulla autoritate præditos, rebus novandis impares.

14. Regis titulum effugit, *Joh. VI.* 15. Jus nunquam dixit, *Luc. XII.* 13. *ſq. Joh. IIX.* 11. Tributum exſolvit, *Matth. XVII.* 24. In ſupplicium ivit.

15. Erga aſſeclas ſe non geſſit tanquam Rex erga ſubditos, ſed tanquam præceptor erga diſcipulos ſponte ipſum ſequentes. *Joh. VI.* 66.

16. Nihil territorii habuit, ubi ſui ſedem fortunarum erigere poſſent. *Matth. IIX.* 20.

17. Denique teſtatus fuit, regnum ſuum non eſſe de hoc mundo, *Joh. XIIX.* 36. ſed regnum veritatis, *ibid.* v. 37. ad quam confirmandam, ut ſtatus formetur, opus non eſt.

18. Antequam cœlos aſcenderet, miſit Apoſtolos, ſicut ipſum miſerat pater, *Joh. XX.* 21. Scil. ad evangelizandum, *Eſa. LXI.* 1. *ſq.*

Digitized by Google

*ſeq. Luc. IV. 17. ſeq* eosque non Magiſtros, *Matth. XXIII.* 8. & 10. ſed Apoſtolos, *Eph. IV.* 11. 2. *Cor. V. v.* 20. 1. *Tim. II.* 7. 2. *Tim.* 1. 11. i. e. miniſtros miſſos ad teſtificandum evangelium Dei, *Act. XX.* 24. conſtituit.

19. Præter hoc nihil imperii execuerunt, cui ſtabiliendo arma eorum. 2. *Cor. X.* 3. & *VI.* 4. enumerata non ſufficiebant.

20. Imo ne numero terrorem incuterent, bini dimiſſi, ſine crumena, pecunia. *Marc.* VI. 7. patientes injuriarum. *Matth. V.* 10. *ſq. Rom. IV.* -10. 13.

21. Claves Apoſtolis conceſſi, *Matth. XVI.* 19. *XIIX.* 18. *Joh. XX.* 23. non denotant poteſtatem, ſed medium quodcunque alios ad cœlum ducendi, etiam ſine poteſtate politica.

22. Remisſio itidem peccatorum non inquiſitionem præſupponit, nec actum judicii, ſed veluti confesſionem, quam occulto morbo laborans medico facit.

23. Imo Apoſtoli non remittunt, ſed ſignum aut teſtimonium, quod DEus remiſerit, edunt.

24. Nec excommunicatio in primitiva Eccleſia imperium involvebat, ſed erat evitatio quædam converſationis cum ejusmodi homine impuro & leviſſimo.

25. Hæc vero cujuscunque privati arbitrio relicta eſt, ſalva cœteroquin conditione civili ejus, qui excommunicatus eſt.

26. Omnes ergo actiones Eccleſiæ ſine ullo imperio ſubſiſtere & a privato collegio proficiſci poſſunt.

27. Neque etiam ex Salvatoris intentione Eccleſia ſtatus eſſe debet, neque ejus natura cum ſtatu politico congruit.

28. Non enim datur judex infallibilis; qualis an ſit papa, demonſtrandum erat.

29. Vnde denique ſequitur, nullam eſſentialem perfectionem vel mutationem Eccleſiæ acceſſiſſe, poſtquam Principes & integræ civitates religionem Chriſtianam profiteri inceperunt.

30. Eccleſia enim manet collegium, quod Principis prote-



Digitized by Google

ctioni ſubjacet, nec imperio civili aliquid detrahit, quod fieri oportuiſſet, ſi Eccleſia eſſet ſtatus.

31. Brevibus: Eccleſia civitatem non ingreditur, ſed civitas eam complectitur.

32. Et Princeps in Eccleſia non caput eſt, ſed membrum, nec plus valet in unione Eccleſiaſtica, quam miles gregarius, ſi uterque ſit æque Chriſtianus.

33. Nec ergo Princeps Chriſtianus ſtatim fit Epiſcopus aut Doctor Eccleſiæ, hoc enim ſeparatum munus eſt.

34. Et non incompatibile quidem, ſed propterea Principi diſvadendum, quod duobus hiſce muneribus graviſſimis una perſona non ſufficiat.

35. Si tamen officium cuilibet Chriſtiano incumbens cum ſummo imperio conjungatur, varia inde reſultant jura Principis, vel obligationes potius circa ſacra, quatenus Eccleſiæ particulares in quavis Republica certum collegium externum conſtituunt.

36. I. Vt protegat & defendat Eccleſiam. Quasvis enim injurias a civibus avertere debet, maxime inſontibus obtentu religionis illatas.

37. II. Vt impenſas ad cultum divinum requiſitas ſuppeditet.

38. Hoc enim uti cuivis Chriſtiano, ita maxime Principi incumbit; penes quem opum publicarum diſpenſatio eſt.

39. Et huc ſpectat cura Scholarum tanqvam ſeminariorum Chriſtianiſmi.

40. III. Inſpectio in acta Eccleſiæ, uti in acta reliquorum collegiorum, ne quid præjudicii Reipublicæ intentetur.

41. IV. Vocatio miniſtrorum, quæ tamen non eſt penes ſolum Principem, uti conſtitutio magiſtratuum.

42. Competit enim Principi prærogativa ſuffragii & cura, ne per ambitum aut largitiones homines incapaces ad munus ſacrum graſſentur, quod ſimonia vocatur, occaſione *Act. IIX.* 18. *ſeqq.*

43. V.

Digitized by Google

43. V. Convocatio Synodorum, ubi diſſidia circa dogmata exoriuntur.

44. Hæc Principi competit non ſolum, qua membro Eccleſiæ, ſed & qua capiti Reipublicæ.

45. Nam ex his diſſidiis graves in Republica motus oriuntur, nec alius compellere invitos ad concilium, ejusve decreta exequi poteſt, quam Princeps.

46. VI. Jus circa diſciplinam in Eccleſia. (a)

47. Hoc quidem ſub Ethniciſmo ab imperio civili fuit ſeparatum, propter nimis laxas leges civiles, ut delicta, quæ legibus Gentilium non adverſa, Chriſtianis tamen indigna erant, ab his pœna Eccleſiaſtica coërcerentur.

48. Sed ea ſub Principe Chriſtiano opus non eſt. Hic enim leges civiles ex ſanctitate morum Chriſtianorum ſupplere & contra eas delinquentes ad civile tribunal pertrahere poteſt.

49. Qvia tamen poena ſecularis non ſufficit ad emendandum delinquentis animum, neque de ea emendatione conſtare poteſt absque declaratione, præſtaret poenitentiam eccleſiaſticam magis frequentari, ſed ſpontaneam.

50. Imo circa excommunicationem ſententiam condemnatoriam ſibi reſervare poteſt Princeps, executione miniſtris Eccleſiæ demandata.

51. Nam bannus Eccleſiaſticus in civitate mere Chriſtiana hodie hominem infamen ac inteſtabilem facit, fereque capitis deminutio eſt, ſecus ac olim in primitiva Eccleſia.

52. VII. Jus condendi ſtatuta de rebus circa religionem & ejusmodi ſtatutis vim legum civilium addendi.

53. Cum enim religio juri principis detrahere non debeat, poterit ille, quæ recepta fuerint ſupervacua, vel juribus Princi-

 pis

(a) Et inſtituendi judicia eccleſiaſtica ſ. Conſiſtoria, quæ tamen neceſſaria non ſunt. Et propterea eſt quorundam Pontificiorum impudentia textum I. Cor. II. 13. ſqq. ad neceſſitatem Conſiſtoriorum detorquentium, quemadmodum verſ. 15. ad Papæ ſuprematum & infallibilitatem.

Digitized by Google

pis adverſantia abolere. Quæ vero ad decus & ordinem in Eccleſia faciunt, ſupplere, adhibitis tamen in conſilium ſaltem præcipuis ex Eccleſia.

54. Cautus tamen eſſe debet Princeps, ne ſtatuta illa reſpiciant religionem ipſam, ſed ea duntaxat, quæ eam circumſtant, ordinemque ac decus ſpectant.

55. Nemo ergo ſub poena adigendus ad religionem, cum fides per homines non excitetur, neque metu poenæ; neque ſpe præmiorum, ſed perſvaſionibus de veritate & accedente Lumine Spiritus S.

56. Intellectus enim per metum cogi non poteſt, ut id pro vero reputet, quod falſum eſſe credit.

57. Ipſe Chriſtus non compulit Judaeos, ut doctrinam ſuam arriperent, ſed ſæpe dixit: *qui habet aures ad audiendum, audiat.*

58. Quo teſtabatur, ſe nolle Dimacharum Gallicorum hoſpitationibus homines ad ſalutis viam obtorto collo rapere. (*a*)

59. Et quanta quæſo abſurditas, ſi civis vellet ad arbitrium Principis amare & venerari Deum, aut ea omittere, contra monitum & exemplum Apoſtolorum. *Act. IV.* 19. *V.* 29.

60. Poteſt vero princeps ad conſervandam tanquillitatem in civitate jubere, ut ſileant diverſa & noxia ſentientes, eosque, niſi id faciant, ejicere.

61. Nam devitandus eſt Hæreticus; At in ejus gratiam integra civitas alio migrare non tenetur.

62. Ille

(*a*) Inde eſt, quod Chriſtus opilionis non alterius Paſtoris pecus ante ſe agentis & ad loca, quo tendit, vi metuque propellentis, ſuſcipiat, Scil. amore & fiducia ad ipſum trahimus. Meine Schaafe hören meine Stimme, und ich kenne ſie und ſie folgen mir ꝛc.
Add. *Joh. X.* 4. 5. 14. 27. 28. 29.
Inde quoque eſt, quod Pater cœleſtis & Salvator nunquam cogendi, ſed trahendi mentionem in ſalutis negotio faciat Joh. VI. 44. XII, 32.

61. Ille ergo ſolum vertat, ſi prius ab eruditis placide & fraterne admonitus erroriſque convictus ſit.

63. Sæpius ergo *tolerari poſſunt* diverſæ religiones, quia non ſemper ſunt noxiæ, dummodo rixandi libido coërceatur.

64. Scilicet (1) ſi tanta ſit multitudo diſſentientium, ut ſine inſigni deminutione civitatis expelli non poſſint, aut (2.) ſi expulſi eidem grave detrimentum ſint conciliaturi.

65. Modo tamen ſe ut bonos & quietos cives exhibeant, cives ad turbas movendas non diſponant, nec diſſidii in religione cauſa mutuis ſe convitiis proſcindant.

66. Neque ſolum *poſſunt*, ſed & *debent* ſæpius diverſæ religioni addicti, e. g. ſi ſacrorum libertatem ſibi ſtipulati ſint, vel legibus fundamentalibus quæſiverint.

67. Patet jam, ultra exilium in hæreticos animadvertendum non eſſe.

68. Notanda tamen limitatio: Niſi ſimul violent præcepta, quæ religio revelata cum naturali habet communia, & qvæ cultum Numinis in genere involvunt.

69. Ita quin durioribus poenis civilibus ſubjaceat blaſphemus non dubitandum.

70. Ejusmodi enim caſus non ad ipſam religionem ſpectat, ſed ſcelera innuit improborum præter religionem.

71. Atheos vero, niſi alia accedant crimina, ejici poſſe puto, & a converſatione cum aliis removeri, ſed non æque puniri, quia nec odio habent Deum, ut blaſphemi, nec læſerunt Rempublicam.



Digitized by Google

# CAP. XXXI.
## DE
# POENIS.

### I.

POena eſt malum moleſtum ab Imperante inflictum delinquenti, ut omnes cives in illa Republica vel univerſitate, & ipſe quandoque delinquens a ſimili facinore abſterreantur. (a)

2. Vocatur alias *dolor*; quia tamen & mulctæ & relegationes proprie pœnæ vocantur, licet in latiori ſignificatu, a vocabulo doloris abſtinere præſtat.

3. Nec tamen eſt, quod hic ſpecialiter explicentur relegatio & mulctæ, cum ſuppoſita nobiliſſima pœnarum ſpecie facile intelligi poſſint.

4. Infertur pœna invito, unde excludimus pœnas conventionales, quæ proprie talis non ſunt.

5. Cauſa efficiens pœnarum eſt is, qui habet imperium in Republica.

6. Pares enim ſe invicem punire non poſſunt, ſed alter ab altero vindictam ſumere dicitur, quæ a pœna variis modis differt.

7. (1.) Pœna infligitur ſubdito ab imperante; vindicta infertur pari a pari, qui non habet ſuperiorem.

8. (2.) Finis vindictæ primarius eſt aſſecuratio ejus, qui vindictam ſumit: in pœna vero eſt abſterritio reliquorum.

9. (3.) Pœna obtinet in ſocietate civili, ſive in Republica, ubi vindicta privata ſemper illicita, & judex adeundus eſt.

10. Vindicta vero exercetur in ſtatu naturali ſive in ſocietate

---

(a) Vulgo hoc ita differunt; *ut reliqui cives emendentur*. Verum vis externa animum non emendat.

Digitized by Google

te gentium, & inter eos, qui vel nullum, vel non eundem habent ſuperiorem.

11. (4.) Pœna regulariter præſcripta eſt & proportionem habere debet, ad ejiciendum ſimilis delicti futuri metum.

12. Vindicta e contra læſioni non ſemper eſt conformis & arbitrio vindicantis relinquitur, donec ab hoſte ſecurum ſe putet, de quo dictum *in cap. de bello.*

13. Irrogatur pœna delinquenti, & quidem qua tali, ſive propter delictum.

14. Delictum eſt factum contra leges dolo malo admiſſum.

15. Quod enim per culpam committitur in foro humano veri delicti nomen non meretur, utpote ad quod ſemper requiritur proæreſis.

16. Per factam vero hic etiam intelligimus omiſſionem, e. g. ſi miles pugnam detrectet, ſubditus ſemina ſeditionis non detegat, &c.

17. Finis pœnarum eſt, ut a ſimili delicto abſterreantur imprimis omnes cives in Republica.

18. Quandoque etiam ipſe delinquens, quæ locum habet in pœnis plerisque, imprimis clandeſtinis, non vero in ultimo ſupplicio, & relegatione, ubi Reipublicæ, ex qua ejiciuntur, non intereſt, an emendentur, nec ne; quin & alibi fere inepti redduntur ad civilia munia, ademta exiſtimatione civili, maxime ſi fuſtigatio acceſſerit.

19. Et hoc eſt, quod pœna ſemper fieri dicatur in exemplum.

20. Secundario vero aſſecuratio etiam intenditur non ejus tantum, qui per delictum eſt læſus (hæc enim aſſecurationis ſpecies ad vindictam pertinet;) ſed omnium civium.

21. Dum enim abſterrentur vel e medio tolluntur nocentes, ſecuri redduntur innocentes.

22. In omnibus ergo pœnis ab homine illatis intendi debet aliquod bonum futurum, ut emendatio vel aſſecuratio.

23. Pro-

Digitized by Google

23. Propter malum enim præteritum & ſolius expiationis cauſa alicui cruciatus inferre communi hominum naturæ repugnat, & prudens non punit, qvia peccatum eſt, ſed ne peccetur.

24. In Deo vero pœnam ignis æterni inferente alia res eſt, qvippe cujus eſſentia a noſtra plane diverſa eſt. vid. *Grot. Lib. II. c. XX.* §. 5. & quæ ſupra diximus *cap. XV. poſit.* 59. *ſeqq.*

25. Fundamentum, ex quo jus Principis ad pœnam irrogandam deducitur, inter autores dubium eſt, aliis ad conceſſionem Dei, aliis ad conceſſionem populi provocantibus.

26. Illorum ſententia non melior eſt illa, qua Majeſtas immediate a DEO Principi attribui dicitur.

27. Hi iterum in duas partes abeunt, quarum altera quemvis ex populo ſpontanea ſubjectione jus vitæ & necis in Principem tacite contuliſſe aſſerit.

28. Altera rationi minime congruere putat, quod quisque jus vitam ſibi auferendi Principi attribuerit.

29. Putant vero quemvis jus arcendi alios a re ſua in Principem transtuliſſe, vi cujus omnibus res aliorum injuſte turbantibus Princeps reſiſtit.

30. Verum & in hac poſtrema ſententia plura deſiderari poſſent, nam privatus contra privatum, ſi nullum habeat ſuperiorem, nihil niſi vindictam exercet, i. e. reparationem damni & aſſecurationem ſuam intendit.

31. At princeps in irrogandis pœnis, intendit communem emendationem civium, cujus origo ex jure arcendi alios a re mea derivari non poteſt.

32. Ideoque prior ſententia, quod quisque in Principem tranſtulerit jus vitam ſibi auferendi, probabilior videtur.

33. Quod vero dicitur, neminem præſumi ſponte tormentis & morti ſubjicere ſe velle, id applicari non poteſt, cum civi bono, cui non eſt delinquendi propoſitum, pœna metuenda non ſit.

34. Et

Digitized by Google

34. Et civis bonus etiam diſpendio ſalutis propriæ commodum Reipublicæ promovere debet, ac velle præſumitur.

35. Nec obſtat, qvod privatus non habeat jus vitæ ac necis in ſe ipſum, adeoque nec illud transferre poſſit.

36. In moralibus enim ſæpius plures conjunctim ſumti transferre poſſunt, quod ſinguli non habent.

37. Ita populus majeſtatem in Principem transfert, quam ſinguli antea non poſſidebant.

38. Deinde quando quæritur, an juſta ſit pœna, ſeparandæ ſunt quæſtiones, an ea præcepta ſit, an vero licita? vel an quis ad pœnas ſit obligatus?

39. Et tunc iterum quæritur, an ſuperior obligatus ſit ad pœnas a delinquente ſumendas? an delinquens ad perpetiendas?

40. Dicimus pœnas jure naturali eſſe præceptas, ſed indeterminate tantum, & quatenus ad ſalutem publicam obtinendam requiruntur.

41. Hæc enim ſuprema lex eſt, ſecundum qvam vel pœna mitigari, vel plane omitti, vel etiam exaſperari poteſt.

42. Determinavit tamen jus divinum poſitivum pœnam homicidii, quam Princeps nec mitigare, nec remittere valet. (a)

43. In reliquis delictis, licet minima videantur, licite obtinebit pœna graviſſima & ultimum ſupplicium, ſi ea reprimi alio modo non poſſint, & tamen ſecuritatem publicam turbent. (b)



(a) Sed vide quæ ſupra diximus cap. IIX. Poſit. 91. ibique in annotatis.

(b) Talionem itaque comminiſci velle legiſlationi humanæ minime congruit, vid. *Ziegel. Diſpp. Volum. 1. Them. XLIIX.* §. 28. ubi ad textus *Exod. XXI. 23. Levit. XXIV. 20.* & *Deut. XIX. 19.* reſpondet add. *Giſtbert. Deuteron. Harmon.* eaque vel phyſice, (v. g. ſi quis ex ædium culmine ceciderit, & per plateam tranſeuntem obtriverit,) vel moraliter impoſſibilis eſt, v. g. in adulterio, ſtupro, inceſtu, læſa Majeſtate, partus ſuppoſitione, &c. interim negari non poteſt, Deum, juſtiſſimum Vindicem, & in his aliquando talione uſum eſſe. vid. *2. Sam. XI. 4.* junct. *XVI. 22. 1. Reg. XXI. 19.* verum juſtitia Divina & humana eundem modulum non admittunt.

Digitized by Google

44. Vnde dependet deciſio quæſtionis, an ob furtum, quod minimam quandoque rem concernit, ſuſpendio aliquis puniri poſſit? quod tuto affirmamus. (*a*)

45. Neque in contrarium movet vel autoritas legis divinæ quadrupli reſtitutionem injungentis, vel ratio: quod nulla ſit proportio inter rem furto ablatam & vitam hominis.

46. Quod enim legem divinam attinet, fuit ea non univerſalis, ſed forenſis tantum. add. *Ziegl. Diſp. Volum.* I. *them. XLIIX.* §. 29.

47. Quod ad rationem; proportio quærenda non inter pœnam & objectum delicti, ſed inter pœnam & delictum ipſum atque damnum ex ejus impunitate proveniens.

48. Vt adeo creſcentibus delictis, creſcere quoque debeant pœnæ, & patenti occaſioni ſeverioribus pœnis occurrendum. (*b*)

49. Di-

(*a*) Omni niſu atque opera huic ſententiæ obluctatur Anton. Matthæi d. Criminibus Libr. XLVII. tit. I. c. 2. n. 6. p. m. 83.-92. per quinque rationes, quarum examen ſuppoſita limitatione expoſit, præced. non difficile eſt, & prolixe inſtituitur a Carpzov. in Pract. Crimin. Quæſt. LXXVII. n. 13.-47.

(*b*) Occaſio delinquendi aliquando auget pœnam, alibi minuit. Illud fit, *quando publice proſtat occaſio, nec facile inhiberi poteſt.* Ita diſciplina militaris ſeverior eſſe debet, quam civilis; ita furtum ferarum gravius punitur, quia ſinguli ſaltuum & lucorum receſſus, ſingulis horis perquiri & cuſtodiri non poſſunt; Idem dicendum de furto lignorum per flumina publica natantium, Flöß-Holtz-Deuben, cum enim ligna in flumine per multa milliaria noctu atque interdiu diſperſim tranſeant, & cuſtodes ac inſpectores furta ubique ſatis præcavere non poſſint, patens occaſio vitium auget, pœnamque exaſperat. Ita pro ſingulis lignis, etiam iis in locis, ubi abundantia pretium minuit, florenus, alibi decem floreni, alibi manus amputatio irrogatur, vid. *Fritſch. de Jure Grutiæ cap. V. Sect. 3. n. 11.* & formulas Reſcriptorum ibidem ſubjunctas *n.* 1. & 2. Hinc ex parte etiam eſſe puto, quod parentes vel mariti filiam vel uxorem proſtituentes gravius puniantur, quam extranei, *Carpz. Pract. Crimin. Q. 71.* hinc Germanni furta ſeverius puni-

49. Dicimus ergo, Principem obligari ad pœnas irrogandas, ſi ſecuritatis publicæ interſit.

50. Verum hic non obligabitur delinquenti, ſed Deo potius, & imperfecte univerſo populo.

51. Delinquens vero obligatus eſt ad pœnas perpetiendas: quamvis enim ab iis abhorreat natura animalis, non tamen adeo abhorret natura rationalis.

52. Et obligatur delinquens ſaltem, ne reſiſtat actibus pœnam antecedentibus; ne vero reſiſtat vel reſiſtere poſſit actibus pœnæ formalibus, alia media ſunt adhibenda.



ebant, quia tuguria eorum vi & fraudibus furum arcendis non ita ſufficiebant, ac Romanorum palatia, & quia ſervi Germani non ædes domini ſed proprias caſas inhabitabant, vid. *Tacit. de moribus German. cap. 16. & 27.* inde etiam erat, quod furtum nocturnum gravius puniretur, quam diurnum. *Schilt. Exerc. XLIX. th. 8. 9. 10.* quod & ad multa alia delicta nocturna producitur. Dixi *in Poſit. ad Dig. Tit. de furt. pag. 600.* Quin & abigeatum huc referunt, quia abigeus cuſtodem facilius eludit, vel minori apparatu contra eum armatur in paſcuis, quam contra familiam & vicinos, ſi ex ſtabulo pecus ſurripere conetur. *Schilter. dict. Exerc. XLIX. th. 39.* Sed quid eſt, quod crimen de Reſiduis mitius puniatur, quam furtum, etiamſi adminiſtratori quotidiana occaſio pateat, pecuniam publicam in uſus privatos convertendi? Forte dicendum eſt: *Quoties occaſio, etiam publice proſtans facit, ut formale delicti ceſſet, toties pœna regulariter mitiganda magis, quam exacerbanda eſt.* Idque in crimine reſiduorum ſatis conſpicitur, in quo formale furti, contrectatio, ſeu ablatio rei ex alterius cuſtodia, deficit; neque tantum peccatum haberi poteſt, rem quæ juſto titulo penes aliquem eſt, in proprios uſus convertere, quantum maligno propoſito, non ſine technis & machinationibus eandem alienæ cuſtodiæ eripere. Vnde non poſſum ſentire cum *B. Pufend. de J. N. & G. lib. V. cap. IV. in fin.* ita diſſerente: Crediderim, turpius eſſe flagitium depo- „ ſitum abnegare aut intercipere, quam furtum facere; cum heic ſolum, „ Jus Dominii, & Juſtitia, illic etiam amicitia & humanitas violetur. „

53. Salva ergo conſcientia nec fuga ſibi conſulere, nec crimen negare, minime vero carcerem effringere, aliisve mediis pœnæ ſe ſubducere delinquens poterit, quod poſſet omnino ſi ad pœnam non eſſet obligatus.

54. Puniri poſſunt actus, qui imputari poſſunt & legibus ſubjacent; non ergo primi motus nec actiones animæ vegetantis aut ſenſitivæ, de quibus ſupra.

# CAP. XXXII.
## DE
# BELLO.

1.

BEllum aliis dicitur certatio per vim, aliis vero ſtatus per vim certantium, neutrum ſatis accurate.

2. Nos definitioni præmittimus fundamentum juſtitiæ bellicæ, quod illud non modo juri divino novi teſtamenti, *Luc. III.* 14. ſed & juri naturali non repugnet. 3. Scil.

Nam illa ratio non ſatis valida videtur, quod deposito in alterius „ manus velut conſignato, occaſio præbeatur rem intervertendi, quæ „ alias efficacem ad peccandum habet ſtimulum; fur autem occaſio- „ nem res alienas involandi aſtute captet, ac præterea communem il- „ lam ſanctionem, qva cuiqve ſua domus tutiſſimum receptaculum „ habetur, infringat: neque enim levius deliquiſſe judicatur tutor, qui „ pupillam ſuæ fidei commiſſam, & in proprias ædes receptam ipſe ſtu- „ praverit. Quemadmodum enim rationibus Viri illuſtris ex ſuperioribus ſatisfit, ita inſtantia ultimo loco allata diſparis rationis eſt. Stuprum enim pupillæ in ædibus tutoris illatum, non minus ſtuprum eſt, ac ſi ea alibi vitietur: Contra depoſiti abnegatio verum furtum non eſt, ob deficientem ablationem. Demum *occaſio delinquendi ex improviſo & ſubito oblata poenam minuit magis, quam ut augeat:* licet mitigatio a Principe potius, quam a Judice expectanda ſit. Quibus notatis æquiori animo ferri poteſt, quod *Tiraquellus in tractatu de pœnis temperandis aut mitigandis, Operum Tomo VII.* nullam occaſionis delinquendi mentionem, quantum, perluſtratione facta, obſervavi, fecerit,

Digitized by Google

3. Scil. ſupra oſtenſum, quod jura alterius, quæ ipſe vel immediate per legem, vel mediante pacto ſibi acquiſivit, violare nemini liceat.

4. Item ſi ea quocunque modo violaverit, quod teneatur ad ſatisfactionem & cautionem.

5. Dictitat porro ratio naturalis, ne in ſtatu corrupto, quando juri meo ſponte non ſatisfit, obligatio ſit plane fruſtranea, eam concomitari debere aliquam coactionem.

6. Illa coactio in civitate quidem i. e. inter eos, qui eundem habent imperantem, exercetur in judiciis.

7. Deficiente vero Imperante, ſi alter alteri ſponte ſatisfacere nolit, neceſſe eſt, ut ipſe autoritate propria jus ſuum perſequatur.

8. Satisfactio ergo ſpontanea ante, quam ad arma perveniatur, omnino eſt poſtulanda, aut quævis prius remedia tentanda, quam ad arma deſcendatur.

9. At ſi bonis conditionibus nihil obtineri poſſit, alteri jus quæritur ea, quæ debentur, quibuscunque remediis etiam cum extrema debitoris pernicie conjunctis, extorquendi.

10. Porro cum bello ſemel cœpto iterum deficiat judex communis, æſtimans, num plene victori ſatisfactum ſit, nec ne, inde patet veritas aſſerti Grotiani: *Hoſti in hoſtem omnia licent.*

11. Scilicet qui vincula ſocialitatis ipſe rupit, jura ſocietatis â me prætendere non poteſt, donec in pacem redierimus.

12. Neque putandum eſt, plene mihi fuiſſe ſatisfactum, ſi cauſa, ob quam bellum exarſit, jam ceſſet.

13. Poſſunt enim deficere refuſio ſumtuum militarium, & aſſecuratio, ne pax metu jam inita paucorum annorum ſpatio exſpiret, aut fomes ſit belli longe atrocioris.

14. Licebit ergo hoſtem, qui fidem datam ſemel neglexit, vel exarmare, vel eo redigere, ne ipſius potentia mihi impoſterum ſit metuenda.

15. Hoſce fines, qui vel obtinuit, vel ſine armis obtinere



Digitized by Google

poteſt, nec pacem tamen petenti concedit, conſcientiam quidem ſuam lædit, reſpectu alterius tamen pro injuſto non eſt habendus.(a)

16. Juſtitia enim belli vel externa dicitur, vel interna.

17. Hæc debet eſſe regula conſcientiæ; illa vero impedit, quo minus hoſtis, qui nimium paſſus eſt, poſtea de injuria ſibi illata conqueri poſſit.

18. Id enim ſi jure Gentium concederetur, quilibet victus nimiam læſionem obtenderet, adeoque bella forent infinita.

19. Hujus itaque juſtitiæ indicium eſt victoria alterutrius; eoque ſenſu Princeps dicitur nullum habere ſuperiorem, niſi DEVM & gladium.

20. Hinc porro omne bellum, cui eſſentialia requiſita non deſunt, juſtum dicitur.

21. Ea

(a) Caute itaque intelligendum eſt, quod dicit *Grot. Prolegom. de J.B. & P.* §. *26.* Silere leges inter arma, ſed civiles & judiciarias, & pacis proprias; non alias perpetuas & omnibus temporibus accommodatas. Unde Vitriarius *in Inſtitut. Jur. Nat. & Gent. L I. c. 1. q. 3.* infert, in bello obſervari Jus naturæ & Gentium, quia hoc omnes homines & omni tempore obligat. Paucula vero ſunt Juris Nat. & Gent. capita, quæ in bello obtinent, eaque valde reſtricta; Hoſtis per vim cogendus, atque adeo nervi ipſi ſuccidendi ſunt. Maximam itaque partem ceſſat præceptum *de non lædendis aliis*; hoſtes enim recte occiduntur, urbes evertuntur, bona intercipiuntur, auferuntur, perduntur, & quicquid hoſti prodeſſe poteſt, corrumpitur. Ceſſat præceptum de officiis humanitatis, ſeu *de commodo aliorum promovendo*, ratio enim belli exigit, ne quicquam hoſti, ac ne ſumme quidem neceſſaria ſuppeditentur. Ceſſat præceptum *de non decipiendo altero*; licita enim & laudabilia ſunt ſtratagemata & aſſertiones ad hoſtem fallendum efficta. Quin & præceptum *de pactis ſervandis* ratione pactorum, quæ bellum anteceſſerunt, ceſſat. Ea vero, quæ durante bello cum hoſte ineuntur, rata eſſe debent, v.g. induciarum, deditionis urbium, permutationis aut redemtionis captivorum, Die aufgerichteten Cartells. *Fabri* Europ. Staats-Cantzley, *P. I, pag. 338.--416.* aliam limitationem vide infra *poſit. 36. ſeq. h. cap.*

Digitized by Google

21. Ea ſunt: (1.) Majeſtas reſpectu perſonarum belligerantium, (a) (2) legitima indictio, qua ſatisfactio ſpontanea petitur, eaque deficiente vis intimatur.

22. Bellum igitur eſt ſtatus hoſtilis inter diverſas Reſpublicas ad extorquendam ſatisfactionem & cautionem de non offendendo, vel ad defendenda ea, quæ noſtra ſunt, ſolenniter ſuſceptus.

23. Dico ſolenniter. N. O. quod bellum dividatur in ſolenne & minus ſolenne, i. e. quod non eſt indictum.

24. Id

(a) Bellum privatum, (quod tamen nomine belli venire non poteſt, quia non ſtatus, ſed aliquid momentaneum eſt) locum habere dicitur, ubi ceſſat judicium, idque vel *momentanee*, ubi expectari judex ſine certo periculo vel damno non poteſt; vel *continue*; & hoc modo iterum vel jure, vel facto. *Jure*, ſi quis in locis non occupatis verſetur; *facto*, ſi ſubditi judicem non audiant, vel judex aperte cognitionem rejecerit. *Grot. de J. B. & P. L. I. c. III.* §. *1.* &. 2. De ceſſatione momentanea dubium non eſt, modo notetur, hoc jus, ſimul ac judicis alicujus copia fiat, expirare. Ut *continue* & quidem *jure* ceſſent judicia, caſus rariſſimus eſt; & multo rarius ibi periculum hoſtile. Qui enim in locis deſertis degunt, imperio humano exemti, ipſi ſchema reipublicæ conſtituunt, modo vel paucis aliis ſocientur. Caſus, quo ſubditi judicem non audiunt, i. e. tumultus vel ſeditionis, defenſionis privatæ licentiam parit, non regulariter offenſionis. Quando vero judex aperte cognitionem rejecit, ſubdito ſibi ipſi jus dicere nondum licet. Vel enim inferior judex eſt, qui juſtitiam denegat; ita via patet ad ſuperiorem: vel Princeps; & tum iſte vel non *poteſt* jus meum aſſerere, vel non *vult*. Priori caſu ad vim privatam deſcendere non licet, niſi Imperans id expreſſe vel tacite permiſerit. Poſteriori caſu ab omni offenſione privata abſtinendum eſt, & credendum, vel jus meum ita liquidum non eſſe, ac mihi philautia forte perſvadet; vel rationem ſtatus publici non permittere, ut juſtitia mihi adminiſtretur. De Principe enim optima quæque ſperanda ſunt, & cogitandum, quod bonum privatum publico cedere, & Reſpublica ob intereſſe civis privati, periculo vel damno exponi non debeat; quodque Privatus invito Principe jus manu ſibi aſſerens Majeſtati detrahat, & Reipublicæ

Digitized by Google

24. Id enim vel conjunctum habet aliquid indictioni analogum, (a) vel à lotrocinio non differt.

25. Finis duplex eſt in definitione, unde diviſio belli in offenſivum & defenſivum.

26. Illud inſtituitur ut extorqueamus vel ea, quæ nobis jure perfecto debentur, vel damni injuſte dati reparationem, & aſſecurationem de non lædendo in poſterum.

27. Hoc, ut nos & noſtra ſervemus & tueamur contra eos, qui læſionem intendunt.

28. Sequitur exinde, nullum bellum eſſe punitivum, quod quidem Grotius putat *L. II, c, 20, §. 38.* ſed ſolum vindicativum.

28. Vin-

compagem concutiat. Multo vero minus ſubditis vim propriam adhibere licebit, ſi juſtitiæ adminiſtratio à Judice ſupremo protrahatur, quia differre minus eſt, quam denegare. Atque adeo dicendum videtur: Quamdiu Judicem implorandi facultas patet, tamdiu vis privata prohibetur, niſi qua imperans eam permittit. Largiores vero in ejusmodi permiſſione & faciliores erant Germani, vid. *Viſcher de duello proviſo & improviſo. Bocerus de bello & duello. Goldaſti* Reichs-Satzungen *paſſim.* Sächſ. Landr. *Lib. II. art. 12. Lib. I. art. 63. art. 18.*

(a) Indictio belli quousque *jure naturæ* neceſſaria ſit, tanto magis hodie quæri cœpit, poſtquam arma ante eam ſubinde inferri vidimus. *Jure naturæ*, inquam, nam jus *gentium* obligatorium juri naturæ contradiſtinctum non agnoſcimus, unde nos non tangunt mores Gentium ſolenni ritu, veſtitu, formulis, & veluti carminibus præſcriptis bella indicere ſolitorum. Vid. de Romanis *Roſin. Antiq. Rom. lib. X. cap. I. Briſſon. de formul. Lib. IV. pag. m. 341. ſeqq.* Quantum vero ratione aſſequi licet, duplex indictionis finis eſſe videtur: alter, ut prius ſpontaneam ſatisfactionem poſtulem, quam ad violentiam armorum tot calamitatibus ſtipatam & plane pernicioſam, quæ proinde aliis mediis ceſſantibus demum in ſubſidium vocanda eſt, deſcendam; altera, ut alias gentes de cauſæ juſtitia certiores reddam. Poſterior finis non facit, ut indictio *præcedere* debeat, niſi forte à vicino poten-

Digitized by Google

29. Vindicta enim intendit ſaltem aſſecurationem, pœna vero inſuper cohibitionem à delicto tum ratione delinquentis, tum aliorum.

30. Adeoque pœna non niſi a ſuperiore proficiſcitur, bellum vero inter pares geritur.

31. Quando hi fines ſint obtenti, adeoque bellum ceſſare debeat, victoris arbritrio relinquitur, nec victus, ſi durius habeatur, conqueri de injuria poteſt.

32. Dum enim bellum inchoat, tacite compromittit: tenta quid valeas, ego id viciſſim tentabo.

33. Accedit, quod in eum, cui nulla debeo officia pacis, licentia mihi in infinitum.(a)

34. Vnde pacta, per quæ in pacem redimus, licet per me-



tiori metuendum ſit, ne in hoſtium partes protrahatur, ſed de jure meo non informetur. Quin &, cum finis hic poſterior non quæſtionem juſti, ſed utilis, reſpiciat, hactenus indictio ab eo, qui viribus ſuis ſatis confidit, plane omitti poterit, aut ſaltem alii Principes miſſis legatis in cauſa ſecreto informari, licet hoſti bellum non intimetur. Quod ad finem priorem attinet, ſufficere videtur, ſi Princeps juris ſui executionem poſtulet, quam qui denegat, ineptus eſt, niſi exinde belli præſagia captet. Cæterum ſicut in bello defenſivo indictionem (ſi finem potiorem reſpicias) ſuperfluam eſſe nemo negaverit, ita & in bellis offenſivis recte omittitur, quando ea defenſivis æquipollent, v. g. ſi princeps ex improviſo armata manu recuperet, quod ipſi eodem modo ereptum eſt, nec alia via reparari poteſt; item ſi videat, nullam ſpem ſupereſſe, tranquillè ſua ſervandi, nec alium ex belli indictione effectum proditurum, quam ut eum hoſtis præveniat, & belli ſedem in ejus provincias transferat. Neque enim negari poteſt, eſſe etiam inter Principes aliquando inſatiabili ambitione & habendi cupidine occœcatos, quos flectere ratio non poſſit, ubi in propoſito obduruerint. Tantum ergo abeſt, ut univerſalis belli indicendi neceſſitas affirmanda ſit; ut potius conſcientiæ bellum ſine indictione inferentis, propoſiti juſtitiæ committenda videatur.

tum extorta, ſervanda ſunt; eſt enim metus ex parte inferentis juſtus, de quo ſuperius.

35. Nunquam tamen victor obliviſci debet (*Becm. Lin. moral. cap. XVI. §. 2.*) ſeſe agere cum hominibus, adeoque illa licentia temperanda, quod Grotius explicuit *per totum fere librum tertium, de jure belli & pacis.*

36. Scilicet: Quæcunque actio à victore ſuſcepta nullam ipſi præſtat utilitatem, nec vires hoſtis atterit, illa eſt omittenda.

37. Vnde eſt, quod abſtineri debeat à cæde ſenum, inermium, fœminarum & infantium, a ſtupris & tormentis captivorum, indigna tractione mortuorum, petulantia & fœditate in templis patranda, quod iis ædificiis, ex quibus nulla hoſtilitas imminet, uti templis, parcendum ſit.

38. Sed hæc omnia ſunt juris imperfecti, & ceſſant, ſi ab ejusmodi perſonis vel locis damnum immineat.

39. Neque accuſandi ſunt, qui ſtratagemate potius, quam marte aperto vincunt, modo pactis hoſtem non deceperint.

40. Supereſt effectus belli, tum circa perſonas, tum circa res hoſtiles.

41. Circa illas jus mihi eſt, eas vel occidendi, vel ſi nolim, vinctos retinendi & ſerviles ab ipſis operas extorquendi.

42. Idque maxime, ſi probabile ſit, eos, ubi dimiſſi facultatem arma recipiendi nacti fuerint, nocituros.

43. Quod ſi abſit hæc ſuſpicio, lytro dato dimitti ſolent.

44. Quamvis etiam durius haberi poſſint, aſperitas tamen hæc intra humanum modum conſiſtere debet.

45. Quando enim vitam ei, cui eripere poteram, relinquo, id ſine dubio beneficium eſt.

46. At beneficium non foret, ſi cruciatus inflicti ipſam mortem atrocitate ſuperarent.

47. Ac-

(a) Quod ita efferunt: hoſti in hoſtem omnia licent. vide, quæ ſupra notavimus *ad poſit. 15. h. cap.*

Digitized by Google

47. Accedit, quod primo captivitatis momento cum captivis in pacem redeam.

48. Et quamvis conditiones certas mihi reſervem, eæ tamen à victo approbari non præſumuntur, quæ humanum modum excedunt.

49. Effectus circa res hoſtiles concernit vel amittentes, vel accipientes.

